A. Lat. b. 1876.

Ex libris
Casp: Ans: Seb: Haas
S: Th: Doct: Can: ad S. Ans:
Frisingæ.

C. IVLII SOLINI

POLYHISTΩR,

vel,

RERVM TOTO ORBE MEMORABILIVM THESAVRVS,

A I. IACOBO GRASSERO BASIL.

POETA CÆSAREO,

Ex manuscriptis, aliisque optimis Codicibus emendatus: & historiis similibus, aut dissimilibus illustratus.

CVM INDICE RERVM MIRABILIVM, ATQVE MEMORABILIVM.

AVRELIANÆ ALLOBROGVM.

APVD I. ARNOLDVM

M. D C. V.

Joannes Georgius Baro ab Hoiberg Jun.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

AMPLISSIMIS ET PRVDENTISSIMIS DOMINIS CONSVLIBVS, *Tribunis, & toti Inclytæ Reipub. Basilienſis Senatui, Dominis & Mecænatibus meis colendiſsimis. S. P.*

PATRES Patriæ, Domini & Fautores mei obſeruandiſſimi, accipite pro innata veſtra humanitate C. IVLII SOLINI POLYHISTOREM, quem hiſce menſibus, quibus horrendi vlceris curatione hîc fui detentus, correctum, & notis illuſtratum, ſuaſu amicorum typis deſtinaui. Quicquid vnquam à me proficiſci poteſt, vobis dicatum & conſecratum eſſe de-

bet : pluribus enim beneficiis vobis deuinctus sum, quàm præfatione hac intimare sufficiam. A Parétis mei piétissimi, vestri amicissimi, ex humanis discessu, huc vsque longè amœnissimam S. Claræ, (quam clarissimus Iurisc̃osultus D. ANTONIVS RVFFERVS, intimus meus, Parnasum vocabat: illic enim & Hippocrene, & hortus irriguus, instárque syluæ arborum series) habitationem nobis donastis, & prçter alia innumera beneficia, quibus nos ceu vestram familiam affectis, non sine sinceríssimo affectu, huic tam diuturno morbo omnes condoluistis. Sed Deus Optimus Maximus, Archiater & sospitator noster, in æternum sit benedictus, quòd ex tantis periculorum fluctibus, me saluum & incolumem in portum deduxit. Ille pro immensa clementia, & miseratione, omnes eos fortunet, qui in tam aduersis mihi

mihi adfuerunt. Debeo, & debent omnes, qui me amant, plurimum Nobilissimo Viro, D. MARCO OFFREDO, illiúsque filio, D. PAVLO, vt & D. COLLADONI, ac D. BONETO, Medicis celeberrimis. Amplissimo item ac clarissimo D. IACOBO LECTIO, Iurisconsulto & Poëtę Consulari, ac nonnullis aliis, qui fraterno & religioso animo me complexi tantis succurrerunt laboribus. Sanè nisi Clementissimus Pater singulariter mei misertus, & tantorum virorum fidelissimam operam largitus fuisset, tristissimum feciſſem naufragium. Quo sæuioribus enim concutiebar tempestatibus, eo longiùs inter Syrtes & scopulos errabam. Quin quicquid horrédam fuit, in præcipitio supra caput volutabatur. Per diuina autem præsidia, ita sanitas mecum rediit in gratiam, vt viuam, & valeam. Cum verò pro-

pter diuturnam carnificinam non nihil ingenium meum torpuerit, tanquã in amœniſſimos hortos egreſſus, C. IVLII SOLINI, Autoris veteris & celeberrimi Polyhiſtorem in manus ſumpſi, & quantum per ingenii licuit maciem, ex optimis exemplaribus correxi, & notis illuſtraui. Iacebat vtiliſſimus Autor, noſtris aliquandiu temporibus, & qui olim D. Hieronymo, D. Ambroſio, D. Auguſtino, Seruio item, & Priſciano, necnon recentiore ſeculo, Perotto, Calderino, Politiano, Barbaro, Parrhaſio aliísque doctiſſimis viris, in deliciis fuit, parũ lectus & tritus inter blattas, inglorius penè cõſenuit. Vtinam autẽ Solini vlcera tam feliciter à me curentur, quàm benè, Dei gratia, hoc meum ab illis meis OFFREDIS. Sin verò ſucceſſus conatui minùs reſponderit, lętabor tamen, me nõ Chirurgorum hodiernorum more, lucri

cri cupidine ægritudinem exaſperaſſe. Prodeat ergo in publicum, ſub veſtro magnifico nomine, Veſpaſiani, vt quidam putant, coætaneus Solinus, ciuis Romanus, & data amicitia, inter Muſas veſtras longi ſitus corrigat faſtidiũ, omnes quos humanior Minerua non deſpexit, rerum varietate iucũdiſſimâ & vtiliſſimâ eruditurus. In illo enim animus ſcientiarum & hiſtoriarum ditiſſimus, ingenium verè fontis diuini, oratio maieſtatis Romanæ plena, nullíſque non Gratiis deſiderabilis. Si Deus dederit vt feliciter peregrinatione mea perducta, ad vos redeã, obſeruantiam & gratitudinem meam, nouo teſtabor ſacramento. Interim qui mei eſtis cupidiſſimi, mutuarum fabularum & litterarum loco, Polyhiſtore hoc abſentiæ compenſate ſilẽtium, & ceu mentis meæ, vobis addictiſſimæ effigie, in pinacothecâ veſtrâ ſeruatâ, a-

micitiæ continuate memoriam. Valete Patres, & Patria. Perſcriptum Aurelianæ Allobrogum, feſto Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti

M. DC. IV.

Amplitudinis & Magnificentiæ veſtræ addictiſſimus

IOH. IACOBVS GRASSERVS

BASIL.

DEO VNI ET TRINO
SOSPITATORI OPT. MAX.

QVÆ tua Magne Deus vasto sapientia mundo
Claret, & in laudes excitat astra tuas?
Omne Bonum te fonte fluit, tibi vena perennis
Bullit, & in cunctos feruet amoris opus.
Illa tua humanos cernit miseratio casus,
Et mage dictamno nos tua virga iuuat.
Subuenis iratus, studiúque exempla benigni
Exhibet erranti gratia larga animæ.
Seu stabilis, seu flux a salus membra anxia versat,
Ille tuus multo lumine splendet amor.
Nulla vel herba solo, vel succus ab arbore manat
Cui non diuinæ buccina laudis ineſt.
Te lacuum genitor spumantibus ebrius vndis
Pontus & illa vocat siderum origo Deum.
O Ioua ne tantis erroribus intege vultum.
Heu malus è nostris mentibus halat odor!
Tu nostri miserans sublimi lampada Olympo
Exere, maiorem lampada sideribus.
Peccata Oceano merge, & languentib. vmbris
Vsque tuum nobis auxilium allubeat.
Hæc mea subsidia, hæc requies, hic ambitus extat.
Vnus Mecænas sufficit ille Deus.

Ad Reuerendum & celebertimum Theologum D.

THEODORVM BEZAM.

Qui gaudes dias mentem excoluiße per artes
Nestor & ætate, & nobiliore animo,

Dic age quæ superat mens hæc super anxia fata?
Me primo durus limine casus agit.
Siccine cum vulgo, atque animis terrestrib. atrum
Susceptæ esse viæ rebimur auspicium?
Omen laudatos animat quod protinus ausus,
Ad maiorem animum verius illicium est.
Non autumnales temerarius attero menses,
Hic mihi musæi lectus ad instar erat.
Hoc ego perpendi miserantis dona Iehouæ,
Hoc pepigi sanctæ fœdera amicitiæ.
Me licet immanes videas agitasse dolores,
Atque viæ aptatos præteriisse dies.
Fixum mente sedet cœptos vrgere labores,
Nec duce patre Deo cedere velle malis.
Me patriæ decus, & diuini gloria verbi
Pellicit externas cicurriisse plagas.
Vt spinas inter dulci rosa flore superbit,
Spiritus afflicto maior inest animo.

Ad nobilissimum & clariss. Virum D. MARCVM OFFREDVM Medicum celeberrimum.

Qua voce tandem, qua Chely gratias
OFFREDE *dignas dicam animo tuo,*
Qui me laborantem nefando
Vlcere restituis saluti
Dei administer? ô mihi pristinis
Mens incalescat ignibus aureo
Lætata plectro, nobile illud
Ingenium patrias per oras

Iret

Iret ſuperbum diuite barbito,
Lætóque Athenæ ſidere Rauricæ
Famæ aduolanti gratulantes
Proijcerent decus omne florum.
Sed nec requirit ſors tua, nec mea
Concuſſa ventis ſuppetit arduo
Mandare Cœlo dulce carmen,
Quo tituli meritíque honores
Diuinioris pectoris vltimam
Ruſpentur æthram, iam vigor Enſheus
Dudum ille veſter Mænalo alto
Emicuit, geniíque raras
Vulgauit artes. Ingeny decus
Virtúſque priſco proxima ſeculo,
Illuſtre ceu fulgur tenebras
Diſcutit æthereo nitore.

C. IVLIVS SOLINVS AVLIO SVO S. P. D.

QVONIAM quidam impatientiùs potiùs quàm ſtudioſiùs, opuſculum quod moliebar, intercipere properarunt, idque etiam tum impolitum, prius in medium dederunt, quàm inchoatæ rei ſumma manus imponeretur, & nunc exemplaribus corruptis, quæ damnata ſunt, quaſi probata circunferunt, præteritis quę ad incrementum cognitionis acceſſerunt cura longiore, ne fortè rudis & imperfecta materia, velut ſpectatus à me liber, in manus tuas deferretur, opuſculum ſententia mea digeſtum, vt noſceres miſi: Primò, quòd referendus ad induſtriam tuã fuit tenor diſpoſitionis: Deinde, vt ſcabræ adhuc informitatis proditio, edtione vera extingueretur. Erit igitur operi iſti titulus POLYHISTΩR. Nam quem in exordio deignaueram, ſcilicet, Collectanea rerum memorabilium cum iis quæ improbauimus, placuit oblitterari. Collata igitur hac epiſtola cum ea quæ auſpicium ſcriptionis facit, intelligis eodem te loco habtum, quo eum cui laboris noſtri ſummam dedicauimus.

C. IV-

C. IVLIVS SOLINVS AVTO

SVO S. P. D.

CVM *& aurium clementia, & optimarum artium ſtudiis præſtare te cæteris ſentiam, idque oppidò experius, dubenuolentia tua nihil temere percperim, putaui examen opuſculi huius tibi potiſſimùm dare, cuius vel induſtria promptius ſuffragium, vel benignitas veniam ſpondebat jaciliorem. Liber eſt ad compendium præparatus, quantúmque ratio paſſa eſt, ita moderatè repreſſus, vinec prodiga ſit in eo copia, nec damnoſa concinnitas. Cui ſi animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei ineſſe, quàm bracteas eloquentiæ deprehendes. Exquiſitis enim aliquot voluminibus, ſtuduiſſe me compendio fateor, vt & à notoribus pedem referrem, & remotis longius immorarer. Locorum commemoratio plurimum tenet, in quam partem fermè inclinatior eſt vniuerſa materies. Quorum commeminiſſe ita viſum eſt, vt inclytos terrarum ſitus, & inſignes tractus maris, ſeruata orbis diſtinctione, ſuo quæque ordine redderemus. Inſeruimus etiã pleraque differenter congruentia, vt ſi nihil aliud, ſaltem varietas ipſa legentium faſtidio mederetur. Inter hæc, hominum, & aliorum animalium naturas expreſſimus. Addita ſunt pauca de arboribus & lapidibus exoticis, de extimarum gentium formis, de ritu diſſono abditarum nationum: nonnulla etiam memoratu digna, quæ prætermittere incuriоſum videbatur, quorúmque auctoritas (quod in primis induſtriæ tuæ in-*

ſimatum velim) de ſcriptoribus manat receptiſſimis. Quid enim propriium noſtrum eſſe poterit, cum nhil omiſerit antiquitatis diligentia, quod intactum al hoc vſque æui perſeueret? Quapropter quæſo te, n de præſenti tempore editionis huius fidem libres: quandoquidem veſtigia monetæ veteris perſecuti, opinones vniuerſas eligere maluimus potiùs, quàm innouare. Itaque ſiqua ex iſtis ſecus quàm opto in animum tum venerint, des velim infantiæ meæ veniam. Nam conſtantia veritatis penes eos eſt, quos ſecuti ſumus. Scut ergo ij qui corporum formas æmulantur, poſtpoſitis quæ reliqua ſunt, ante omnia effigiant modum capitis, nec in alia membra priùs lineas deſtinãt, quàm ai ipſa (vt ita dixerim) figurarũ arce auſpicium faciant inchoãdi, ita nos quoque à capite orbis, id eſt, ab vrbe Roma principium capeſſemus, quamuis nihil ſupra ea doctiſſimi auctores reliquerint, quod in nouum preconium poſſit ſuſcitari, ac ſuperuacaneum penè ſit, relegere tramitem decurſum tot annalibus. Ne tamen prorſus diſſimulata ſit, originem eius, quanta vllemus, proſequemur fide.

CL. VIRO, IACOBO GRASSERO, POETÆ CÆSAREO.

PVblica per varios si quis vestigia tractus
Induit, & priscæ sacra per historiæ,
Edocet extremas siquis cum moribus vrbes,
Hunc sua non etiam præmia ferre, nefas.
At præferre facem, salebras exscindere, & ipsos
Ipsos posse duces ducere, laudis apex.
Auxilium fers tale tuo Grassere Solino,
Sic sola, sola quibus Cynthia, Sole beas.
Nempe ausus tenebris, ausus dilapsa senecta
Reddere in ancipites præuia fila manus.
Ergo ipsi tantùm antistas Grassere Solino,
Auricomo quantùm Cynthia Sole minor.

IAC. LECTIVS.

CAPITVM QVAE HOC SOLINI POLYHISTORE continentur, series.

DE origine urbis Romæ. pag. 1.
De consecratione urbis. pag. 3
De diuisione anni, & diebus intercalaribus. 8
De menstruis, de homine, de Alectoride lapide. 12
De similitudine, & corporum proceritate: de mensura hominis, & pudore defunctorum. 18
De velocitate, uisu & fortitudine. 22
De memoria: de uoce adempta, & adepta: de morum laude: de eloquentia: de pietate: de pudicitia, & felicitate. 25
De Italia, & eius laudibus, déque peculiaribus multis quæ in ea reperiuntur. 30
De Corsica, & Corochite lapide. 44
De Sardinia: de Solifuga: de Sardonia herba: de admirandis aquarum uiribus, 45
De Sicilia, & Peloria de terra, & de aquis memorandis, & montibus. 47
De Insulis Vulcaniis. 54
Ex tertio Europæ sinu, Epeirus, Aetolia, Peloponnesus, Attica, Bœotia, Phocis. Multæ insulæ, & in his memoranda omnia. 55

De Thessalia, & Magnesia, & altissimis montibus, & Philippo Macedonum rege, cui alter oculus ad Mezhonem erutus est. 61

De Macedonia, & Regum successione, ac Peanite lapide. 63

Thracum mores, & instituta, & prouinciæ situs ac natura. 68

Insulæ, Claros, cuius facies Aegæo mari nomen dedit, Cythera, Creta, in qua multa referuntur, quæ tum ad animalium omnium genera, tum ad plantas pertineant. Carystos, cum aquis Hellopiis mirè salubribus, Cyclades, Sporades, Atho mõtis vmbra. 73

Ex quarto Europæ sinu, Hellespontus, Propõtis, Bosphorus Thracius, & mira de Delphinis. 79

De Istro, Hypani, & Borysthene, fluuiis, & Scythiæ parte, & de memorandis ferè omnibus quæ in his nascuntur locis. 81

De Hypani, & Borysthene. 83

De Hyperboreis, & Rhiphæis, Cimmeriis, & Hyrcanis, & Tigribus, Leonibus, & Pantheris. 91

De ortu marium internorum: de insula Apollinitarũ: de spatiis inter Scythas & Indos. De formis hominũ: De ceruis, & Tragelaphis. 94

De Germania: de auibus Hercyniis, Bisontibus, & Vris, &c. 98

De Gallia, & de oleo medico. 101

De Britannia, & lapide Satage. 103

De Hispania, Caditano freto, &c. 106

De Libya, hortis Hesperidum, monte Atlante. 111

De Mauritania, de Elephantis. 113

De Numidia, & in ea Vrsis: 117

De Africa, & de omnibus in ea memoria dignis. 119

De

De Hammonientum gente, déque in ea domibus sale constructis. 130
De Garamantibus, déque miro apud eosdem fonte. 130
De Aethiopia, de eius regionis hominum obscœnis moribus, ac eorundem hominum monstrosis formis. De Draconibus, miræque naturæ ibidem feris aliis. De cinnamomo aromate, déque hyacintho lapide. 132
Mira de intimis gentibus Libyæ, de lapide Hexecontalitho. 138
De Aegypto, de Nili fluminis origine, augmento, ostiis. De Api boue: de Crocodilis, Trochilo aue, Scincis. 139
De Arabia, & in ea thure, & myrrha. De Phœnice, ac Cinnamolgo auibus, & Arabum moribus: de lapidũ pretiosorum generibus. 147
De Casio monte: de Pompeij Magni sepulchro, déque Ioppe oppido. 152
De Iudæa, in ea de fluminibus, & lacubus: de balsamo: de Sodomo, & Gomorrho: de Essænis gentibus. 152
De Scythopoli oppido, & monte Casio. 155
De Euphrate & Tigride fluminibus, déque variis gemarum generibus. 155
De Cilicia, & antro Coricio, déque monte Tauro. 159
De Lybia, & Chimæræ monstri fabula. 162
De Asia minori: de Ephesiæ Dianæ templo: de Alexãdri Magni ortu. 162
De Bithynia, & Hylaraptu, déque Annibalis exitu ac sepulchro. 167
De ora Pontica. 168
De Paphlagonia & Venetorum origine. 169
De Cappadocia, & in ea equorum natura. 169
De Assyria, déque unguentorum origine. 172

De Medica arbore. 173
De Caspiis portis. 174
De Direo, & Margiana regione. 175
De Oxo amne, & circa eum gentibus: de itinere Liberi patris, Herculis, Semiramidis, & Cyri regis termino, déque Camelorum natura. 176
De Seribus, & Serico vellere. 178
De Attacis gentibus. 179
De India, & Indorum moribus: de eius regionis cæli clementia: de Indiæ fluminibus, déque miris in ea animalibus, arboribus, odoramentorum generibus: de Indis, item pretiosis lapidibus. 180
De Taprobane insula, & quæ ratione primùm innotuerit. Qualis illic navigatio. Quis gentis eius mos in rege eligendo. Item de conchis, margaritis, unionibus. 193
Indicum itinerarium. 198
De sinu Persico, atque Arabico, déque Azanio mari. 199.
De Parthia, & Cyri sepulcro. 200
De Babylone: de Atlantico Oceano: de Gorgonum ac Fortunatis insulis. 201

INDEX

INDEX RERVM MIRA-bilium atque memorabilium.

A

Aestiuo solstitio nox pene nulla, brumali nulla dies. pag. 104.
Arma quando cessauerunt. 7.
Annus quo tempore incerto modo computabatur. 8.
Annis singulis Græci cur aliquid detrahebant. 9.
Athis filius Crœsi regis mutus. 26.
Ager Vaticanus. 36.
Annulus in quo sunt nouem Musæ, & alia multa. 51.
Alexander magnus qua forma. 66.
Atlas mons. 112.
Arbor Metops. 126.
Æthiopum & Atlanticarum gentium diuisio. 132.
Æthiopes maritimi. 133.
Atlantes. 138.
Asia alia. 163.
Aquilarum nidi. 159.
Arbor medica onere pomorum grauatur. 173.
Aspagonum gens. 183.
Anguillarum longitudo. 185.
Arbos nunquam carens folio. 187.
Arbores Indiæ. 192.
Annona vbi eodem semper tenore. 195.

B

Balsamum in qua terra nascitur. 153.
Basiliscum Cyrenis creat. 127.
Boa quid. 36.
Bonasum animal. 164.
Britannia. 103.
Bubali qui. 99.

C

Calamitas Cæsaris 10.
Callais vbi reperitur.100.
Cameli quas aquas captant.178.
Cameli in quot dies sitim tolerant.178.
Campus Phlegræus.42.
Corallium quomodo & vbi fit.37.
ad Caspios quando accessus.175.
Caucasi montis nominatio.177.
Certamen inter Catinam & Syracusas.49.
Ceruina caro.97.
Chaldææ caput.201.
Cicadæ cur non sonitent.37.
Cicadæ vbi mutæ.37.
Ciconiæ quando aduoluant.166.
A Circes filio geniti venena contemnunt.35.
Clauam Herculis fugiunt canes.3.
Constantia Corneliæ.17.
Crocodilus.143.
Cydnus amnis.160.
Cyri memoria.25.

D

Darij copias vbi Alexander Magnus fudit.173.
Debris inclyta.131.
Delphinum gemitus similis humano.79.
Dictamnum serpentes prodiderunt.97.
Dies lunaris vnde.8.
Direi vbertas.175.

E

Eliſſa & Carthago dicta.120.
Equarum libido quomodo extinguitur.172.
Equorum ingenia.171.
Europa delphinas plurimos habet.79.

F

Fabula de Hyperboreis.91.
Fanum Methymnæi Arionis. 56.
Fausta vno partu quatergeminos edidit.11.

Filia patrem vberibus suis alit.27.
Flumen Lepar,& eius vires.54.
Fœcunditas omnium quando conquiescit.13.
Fœminæ vbi nullæ.154.
Fons exultabundus.50.
Fons mirus.30.
Fons quietus & tranquillus.50.
Fons spectatæ diuersitatis.55.
Fontes calidi & salubres.46.
Fontes calidi.105.
Fontis effectus.148.

G

Galactites,si teratur, quid.56.
Gallia.101.
Gangis latitudo. 181.
Genesara lacus.153.
Gens in iuuenta cana, in senectute nigra.183.
Gens quæ à fœminis regitur.182.
Gens quæ odore pomorum syluestrium viuit.184.
Gentes plus nocte quàm die cernentes.184.
Gracchorum mater.17.
Grues senectute nigrescunt.70.
Gruum ordo in meatu & volatu.70.
Gymnosophistæ.183.

H

Hæbudes insulæ.104.
Hippopotamus.144.
Hirpi Sabinorum lingua lupi.43.
Hispania omni materia affluit.106.
Homo minor mundus.21.
Hyacinthus.136.
Hyæna.122.
Hypasis fluuius.181.
Hypnale emitur ad mortem.124.

I

Ibis ales.144.
Indiam quis primus ingressus.181.

Indi coitus tempore in saltibus canes fœminas religant. 85.
Ingenia quando floruerunt 7.
In aluo occisæ Boæ mirum.36.
Insula Apuliæ vicina quales aues nutriat.38.
Insula nocte ardens.55.
Italia à quo dicta & condita 31.
Italorum votum 41.
Iuno cur Moneta dicta.7.

L

Lacus qui bitumen gignit.137.
Ladæ velocitas.22.
Lapis Alectorius 17.
Lapis dracontias.134.
Lapidem Achatem quæ regio dedit.51.
Lapis qui semel accensus extingui non potest.57.
Lapidis in Macedonia vires.67.
Leænæ fœtu primo catulos quinque edunt.121.
Leones septi à venantibus.
Leucrotæ velocitas.184.
Liber pater vbi nutritus.182.
Lybia vnde dicta.111.
Literas qui primi in Latium intulerunt.31.
Literæ in cinere scriptæ vsque ad tempus permanent.62.
Lolliæ Paulinæ tunica 197.
Lupi ceruarij qui.
Lychnitis lapidis vis.189.

M

Macedonia à quo.65.
Macrobij.133.
Magnes lapis.189.
Maria transmeaturi elephanti.115
Massilia vnde 44.
Mauritania,& de Elephantis 113.& sequent.
Melita à quo condita.170.
Memoria Vnde.25.
Messa Coruinnus sui nominis oblitus.25.
Mira de quibusdam auibus 38.& 39.
Miranda de sorore duorum fratrũ.41.

Marc. A. 59.

Miruni

Mirum effectum duorum fluminum 59.
Monoceros monstrum 185.
Mons Aetna.49.
Mons Caucasus vbi incipit.187.
Mons nocturnis æstibus fumidum exhalat.162.
Mons Seno diues virorum.99.
Mulier solum animal menstruale.12.
Mulier 150.fœtuum simul feciſſe abortum dicitur.12.
Mulieris profluuia.12.
Mutus in vocem erupit 26.

N

Nascentes in pedes procedere,quid.15.
Nationes capitibus caninis.183.
Neuri quo tempore in lupos transfigurati.83.
Nili exitus.140.
Nilus.136.146.
Nilus quibus temporibus exit.156.
Noctua.75.

O

Ὠκεανὸς 108.
Oleum supernat in lacu 51.
Ossium Orestis longitudo.20.
Olympias cuius coitu se consatam affirmabat.66.

P

Pacis iura firmata inter duos.86.
Palma sitim sedat.145.
Palmæ maturæ effectus.145.
Paphlagones mox Veneti nominati.169.
Pegasus.136.
Perdices in Bæotia non sunt.59.
Pharos.146.
Phialia fons.141.
Philippus Alexandri magni pater à quo oculo orbatus.62.
Phœnix auis vbi uascitur.149.
Pietatis documentum.27.
Piper quæ regio ferat.187.
Piscibus tantùm & lacte qui viuunt.104.
Piscium coriis vestitis.199.

Polydori tumulus.70.
Populi qui ouis auium marinarum & auenis vulgò nascentibus viuunt.96.
Porta Mugonia vnde.7.
Proceritas quorundam populorum.183.
Proserpina vbi rapta.53.
Psitacorum differentia.186.
Psitacus in qua regione.186.
Puer delphinem fragmentis panis illexit.80.
Pyrrhites si premitur, digitos adurit.157.
Pygmæi quas regiones tenent.182.

R

Ratumena auriga.171.
Roma quo tempore condita.6.
Romæ conditor Marte genitus & Rhea Syluia.4.
Romæ nomen vetitum publicari 1.
Romæ nomen eloquutus neci datus.2.
Romæ vocabulum ab Euandro.1.

S

Sagda.157.
Sal Agrigentinus.50.
Saltus Hyrcinius aues gignit. 99.
Sardoniæ vires.45.
Scipio Africanus Cæsar dictus.15.
Septem sapientes.164.
Serpentes hauriunt.97.
Serpentum enormitas 184.
Sibylla vnde.34.
Solifuga quę.45.
Syderum vbi nulla in nauigando obseruatio.194.
Sydus Helenes.13.

T

Tecta facta è salinis.130.
Tagus flumen.107.
Terra ante omnes radiis solis illuminata.75.
Testudinum magnitudo.196.
Thrachum fœminæ nupturæ.69.
Thurifera regio.148.
Trochilos auis 143.

Vermes habentes brachia.186.
Viperę inſanabilis morſus.36.
Vngula equi alitis.58.
Vniones quo tempore illati Romam.197.
Vnioni vnde nomen datum.197.
Vrſæ apum fauos appetunt.118.
De Vrſis.117.

SOLINI VITA PER IOANNEM CAMERTEM EDITA.

QVA ætate Iulius Solinus floruerit, nil certi à peritioribus proditum eſt. Id accidiſſe crediderim, quòd eorum monumenta qui poſt eum ſcripſerunt, Barbaris cuncta vaſtantibus, ferè perierint vniuerſa. Miror Chronicarum ſupplementi obſcurum ſcriptorem aliàs, tradidiſſe hunc Solinum Auguſti Cæſaris floruiſſe temporibus, cui & ΠΟΛΥΪΣΤΟΡΑ dedicaſſe commemorat. Cõſtat enim Solinum Veſpaſiani principis in hoc opere meminiſſe. Ex annorum autem inter vtrunque Cæſarem computatione, euidens eſt non potuiſſe Solinum opus ſuum Auguſto dicaſſe, & Veſpaſiani Cæſaris res geſtas retuliſſe. Meminit præterea Solinus Suetonij Paulini, quem Plinius ſe vidiſſe teſtatur. Huc accedit, quòd ex Pliniano fonte Solinus hauſerit fermè omnia, cum tamen ſcribens hæc, infantiæ ſui operis exordio, veniam ſibi dari poſtulet ab amico. Sed cum nuſquam Plinij, per quem profecit, habuerit mentionem, ſuſpicor viuente adhuc Plinio opuſculum hoc ſuum ſcripſiſſe Solinum. Hinc factum forſitan, vt viuentis non meminerit authoris. Conſimili ratione potuit euenire, ne vnquã Plinius Dioſcoridis, nobilis, eiuſdem cum eo temporis, ſcriptoris nomen recenſuerit, cùm conſtet tamen, innumera ex

ex eo id opus ſuum Plinium trãſtuliſſe. Eadem culpa poterit Dioſcoridi imputari. (Nam vter ab vtro ſurripuit, apud Ammonem inueniri poſſet) ſi is oppreſſa Plinij mentione, tantã ex eo fuerit ſuffuratus. Qui de Xenophontis Platoníſque vita,& moribus, pluráque de iiſdem alia exquiſitiſſimè ſcripſere, tradunt nec Platonem Xenophontis, nec contrà Xenophontem Platonis, cum eſſet vterque Socratis diſcipulus, in tot vtriuſque voluminibus inſeruiſſe nomen.

Hi ſunt inuidiæ nimirum, credite, mores,
Vt ſua quàm rarus tempora lector amet.
Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit.

Vera Naſonis ſentẽtia. Quid de Macrobio, qui integras ſæpe paginas ex Gellio, de Placido, qui ex Seruio; Acrone, qui ex Porphyrione? Quid de ſexcentis aliis, qui longas cõmentationes, ſuppreſſis vnde ſumpſerint auctoribus, ad verbũ ſibi omnia tribuerunt? Nemo ambigit Aulum quoque Gellium Latinę linguę delicias, Liuiana lectione plurimũ profeciſſe, cum tamen T. Liuium Latinorum hiſtoricorum lõge principem, ſuarum noctium voluerit eſſe participem. Nec aſſentior quorundam opinioni, qui ea ſpe Solinum nullam habuiſſe Plinij mentionem exiſtimant, vt Plinij exemplaria deperirent penitus, ſicque eius Collectanea extarent ſola, nec procedente tempore ab vllo poſſent ſua furta dignoſci. Qua mente Florus & Iuſtinus laboraſſe creduntur. Eſſet vtinam tot bonorum auctorum amiſſionis hæc ſola cauſſa. Extarent hodie Catonis (vt Græcos interim miſſos faciam) Varronis, Nigidij, Salluſtij, Hygini, Celſi, Ennij, Furij, Varij, Actij, Nęui, Pacuuij, nobilium auctorum monumenta, quæ magna ſtudioſorum iactura perierunt. Vtcunque factum ſit, teſtatur Solinus ingenuè, quidquid in Polyhiſtore complexus eſt, de ſcriptoribus receptiſſimis emanaſſe, ſuúmque nil proprium eſſe dicit, cum nihil (inquit) omiſerit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc vſque ęui permaneret. Rurſus conſtãtiam veritatis penes eos eſſe teſtatur, quos in opere fuerit ipſe ſecutus. Nec dedecori Solino adſcribendum, quòd paſſim fuerit Plinium æmulatus, ſicut nec Maroni dandum crimini, quod toties veterum poetarum, Homeri præſertim verſus in ſuum opus tranſtulerit. Non enim parua virtus eſt auctorem optimum optimè ęmulari. Fuiſſe Solinum Romanum tum ex ſcribendi ſtylo coniicitur, tum quod frequenter, cum de

Ro-

Romanis mentio incidit, eos is locis multis noſtros ſoleat appellare. Solini auctoritate nedum recentiores ſcriptores, Sypontinus Perottus, Domitius Calderinus, Angelus Politianus, Hermolaus Barbarus, Ianus Parrhaſius, iiſque alij plures ſimiles, quos non iniuria inter veteres quis annumerarit, ſed Seruius. ij. Georg. & Priſcianus in vj. inſignes grammatici nominatim etiam vſi ſunt. Dionyſij quoque interpretem, ſiue is Priſcianus fuerit, ſiue Rhemnius, integras Solini clauſulas ſuis carminibus frequenter inſeruit. Solini, ni fallor, ſunt omnia quę de annorum diuiſione, & diebus intercalaribus à Macrobio ſunt relata. Doctores pręterea eccleſiaſtici, D. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus item doctiores alij, iiſdem fere verbis Solini ſępe ſunt ſententias mutuati. Sunt qui perinde Plinianam ſimiam Solinum nuncupent, quemadmodum Titianum oratorum, Arulenum Stoicorum, Iulius Capitolinus, Plinius Cęcilius, Sidonius Apollinaris ſimias nominatos fuiſſe tradunt. Sed hi non aduertunt eos per contumeliam ſimias appellari ſolitos, qui vel ab aliis priùs tradita, eodem quoque ordine referunt, vel non eos auctores, ſed eorum vmbram propius ęmulantur. Verùm Solinus ſic Plinianam phraſim ęmulatus eſt, vt, venia dixerim aliorum, vix ſit repertus alter, qui Plinianę maieſtati propiùs accecſſerit. Inſcripſit librum hunc, vt in vetuſtis quibuſdã exemplaribus innenitur, Autio amico, cui & opus tradidit caſtigandum Sunt qui alia ſui ingenij monumenta reliquiſſe tradant, quæ vel temporis iniuria perierunt, vel abſtruſo loco quopiam cum blattis forſitan deliteſcunt.

DE C. IVLII SOLINI
POLYISTORE,
Tetraſtichon.

Non modò multa docet Πολυΐ ſτωρ mira, ſed hæc ſunt
Mira modis variis, in variíſque locis.
Sic ϖολυϖοικίλου hic Πολυΐ ſτωρ ἴ ſορα reddet
Hiſtoriæ, & verè ϖοικιλοθαυμαſίης.
Diſcendi tantùm ſtudio tenearis oportet,
Nam quis ϖολυμαθὴς, ſit niſi φιλομαθὴς;

C. IVLII SOLINI POLYHISTΩR.

CAPVT PRIMVM.

De origine vrbis Romæ.

SVNT qui videri velint [a]ROMÆ vocabulum ab Euandro primum datum, cùm oppidum ibi offendisset, quod extructum antea VALENtiam dixerat iuuentus Latina, seruatáque significatione impositi priùs nominis, Pῤ Ω-MHN Græcè, VALENTIAM nominatam, quàm Arcades, quoniam in excelsa parte montis habitassent, deriuatum deinceps, vt tutissima vrbium ARCES vocarentur. [b] Heraclidi placet, Troia capta quosdam ex Achiuis in ea loca vbi nunc Roma est, deuenisse per Tyberim, deinde suadente Romé nobilissima captiuarum, quæ his comes erat, incensis nauibus posuisse sedes, [c] struxisse mœnia, & oppidũ ab ea Romen vocauisse. Agathocles scribit Romen non captiuam fuisse, vt suprà dictum est, [d] sed Ascanio natam, Æneæ neptem, appellationis istius causam fuisse. [e] Traditur etiam proprium Romæ nomen, veruntamen vetitum publicari, quandoquidé quo minùs enuntiarentur ceremoniatum arcana, sanxerunt, vt hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum,

quòd contra interdictum eloqui id ausus foret, ob meritum profanæ vocis neci datum. Inter antiquissimas sanè religiones sacellum çolitur [f] Angeronæ, cui sacrificatur ante diem duodecimum calendarum Ianuariarum, quæ diua præsul silentíj ipsius, prænexo obsinatóque ore simulacrum habet.

IACOBI GRASSERI, POETÆ CÆSAREI In C. Iulij Solini POLYHISTΩRA Emendationes & Notæ Lectori vtilissimæ.

IN CAPVT PRIMVM.

a Halicarn. *lib.* 1. Euander ex Palantio vrbe Arcadica, annis LX. ante res Troianas in hæc Italiæ loca nauigauit. *Fab. Pictor de orig. Vrbis Romæ* : Suscepto Italus Italiæ imperio, filiam suam Romam Siculis & Aboriginibus in Latio prefecit, quæ, relictâ Capenâ, medium Palatinum tenuit, & in vertice Romam oppidulum condidit, quod Valentiam sonat: post eius obitum, ob paludes neglectum oppidum vsque in aduentum Euandri.

b Sextus Pompeius idem narrat lib 16. de verborum significatione. c D. Delrio legit, Inde struxisse.

d V.C. Sed ab Ascanio.

e D. Delrio & V.C. restituit, *Traditur etiam proprium Romæ nomen, & verum magis, quod nunquam in vulgum venit.* Ego saluo tamen omnium iudicío, lectionem vulgatam genuinã reor, suppressum autem proprium Vrbis nomen, ne in carmine, quo Dij Tutelares euocabantur, alieq́ue res deuouebantur, vsurparetur. vide Plutarchum in quęstionib. & Plinium lib. 3. c. 5.

f Eadem quę Volupia, ita dicta, quòd angores propitiata depellat.

CAP.

CAPVT II.

De consecratione Vrbis.

DE temporibus Vrbis conditæ, ambiguitatum quæstiones excitauit, quòd quædam ibi multò ante Romulũ [a] cõdita sint. Quippe aram Hercules, quam vouerat, si amissas boues reperisset, punito Caco, patri inuentori dicauit. Qui Cacus habitauit locũ cui Salinæ nomẽ est: [b] vbi Tergemina nũc porta. Hic (vt [c] Cœlius tradit) cum à Tarchone Tyrrheno, ad quẽ legatus venerat Marsyæ regis, socio Megale Phryge, custodiæ foret datus, frustratus vincula, vnde venerat redijt, & præsidijs amplioribus occupato circa Vulturnũ & Cãpaniam regno, dum etiã ea attrectare auderet, quæ concesserant in Arcadum iura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est: & Megalem Sabini receperunt, disciplinam augurandi ab eo edocti. Suo quoque numini idem Hercules instituit aram, quæ maxima apud Põtifices habetur, [d] cũ se ex Nicostrate Euandri matre, quæ à vaticinio Carmentis dicta est, immortalem comperisset: Conseptum etiam, intra quod ritus sacrorum, factis Bouicidijs, docuit Potitios. Sacellum Herculis in foro Boario est, in quo arguméta conuiuij lætę maiestatis ipsius remanent. Nam diuinitus illò neq; canibus neq; muscis ingressus est. Etenim cũ viscerationé [e] sacrificij libaret, [f] Myagrũ deũ dicitur imprecatus: clauã vero in aditu reliquisse, cuius olfactu refugerent canes. id vsque nunc durat. Aedem etiã, quæ Saturni Ærariũ fertur, comites eius cõdiderũt in honorẽ Saturni, quem cultorẽ regionis illius co-

gnouerant extitisse. Item & montem Capitolinũ, Saturnium nominarunt. Castelli quoq; quod excitauerant, portam Saturniam appellauerunt, quæ postea Pandana vocata est. Pars autẽ infima Capitolini mõtis, habitaculũ Carmentis fuit, vbi Carmentis nunc fanum est, à qua Carmentali portę nomen datũ est. Palatiũ verò nemo dubitauerit quin Arcades habeat auctores, à quibus primùm Palanteũ oppidum conditum: quod aliquandiu Aborigines habitarunt, sed propter incommodum vicinę paludis, quam præterfluens Tyberis fecerat, profecti Reate postmodũ reliquerunt. Sunt qui velint à balatibus ouium, mutata litera, vel à Pale pastorali Dea, aut (vt Silenus probat) à Palante Hyperborei filia, quam Hercules ibi compressisse visus est, nomẽ monti adoptatũ. Sed quanquam ista sic cõgruant, palam est prospero illi augurio deberi gloriam Romani nominis, maximè cum annorum ratio faciat cardinem veritati. Nam vt affirmat Varro auctor diligentissimus, Romá cõdidit Romulus Marte genitus & Rhea Syluia, vel vt nonnulli, Marte & Ilia. Dictáq; est primùm ς Roma quadrata, ϙ ad ϛquilibrium foret posita. Ea incipit à sylua quæ est in area Apollinis, & ad superciliũ scalarum Caci habet terminum, vbi tugurium fuit Faustuli, ibi h Romulus mãsitauit, qui auspicatò fũdamẽta murorum iecit duodeuiginti natus annos, vndecimo Calẽd. Maias, hora post secũdam ante tertiam: sicut Lucius Tarũtius prodidit, màthematicorũ nobilissimus, Ioue in piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in scorpione, Sole in tauro, Luna in libra constitutis. Et obseruatũ deinceps, ne qua hostia Paribus cæderetur, vt dies iste à sanguine purus esset.

Cuius

Cuius ſignificationem de partu Iliæ tractam volunt. Item Romulus regnauit annos ſeptem & triginta. De Cœninenſibus egit primum triunphũ,& Acroni regi eorum, detraxit ſpolia, quæ Ioui Feretrio primus ſuſpendit,& opima dixit.Rurſum de Anténatibus triũphauit,de Veientibus poſtremò.Apud Capreę paludem nonis Quintilibus apparere deſiit.Cę teri reges,quib⁹ locis habitauerint, dicemus.Tatius in arce,vbi nunc ędes eſt [i] Iunonis Mónetę,qui áno quinto q̃ ingreſſus vrbem fuerat,à Laurentibus interęptus [k] ſeptima & viceſima Olympiade hominẽ exuit.Numa in colle primùm Quirinali,deinde propter ædem Veſtæ in regia,quæ adhuc ita appellatur. qui regnauit annis trib⁹ & quadraginta,ſepultus ſub laniculo. Tullus Hoſtilius in Velia,vbi poſtea deûm Penatum ædes facta eſt,qui regnauit annos duos & triginta,obijt Olympiade quinta & trigeſima.Ancus Martius in ſumma ſacra via,vbi ædes Lariũ eſt, qui regnauit annos quatuor & viginti, obijt Olympiade prima &quadrageſima.Tarquinius Priſcus ad [l] Mugoniam portá ſupra ſúmam nouam viam,qui regnauit annos ſeptem & triginta. Seruius Tullius Eſquilijs ſupra cliuum Vrbicum,qui regnauit annos duos & quadraginta. Tarquinus ſuperbus ,& ipſe Eſquilis ſupra cliuum Pullium ad [m] Fagutalem lacum,qui regnauit annos quinque & viginti.Cintio Romam duodecima Olympiade placet conditá,Pictori octaua ,Nepoti & Luctatio opiniones Eratoſthenis & Apollodari,comprobantibus,Olympiadis ſeptimæ anno ſecundo.Póponio Attico, & M Tullio,Olympiadis ſextæ anno tertio.Collatis igitur noſtris & Græcorum temporibus,inuenimus incipien-

te Olympiade .ſeptima Romam cõditam,ãno poſt Iliũ captũ quadringenteſimo triceſimo tertio.Quip pe certamen Olympicum,quod Hercules in honorem ataui materni Pelopis ediderat, intermiſſum, ⁊ Iphiclus filius eius inſtaurauit poſt excidium Troię anno quadringenteſimo octauo. Ergo ab Iphiclo numeratur Olympias prima.Ita ſex medijs Olympiadibus interiectis ,quibus ſingulis anni quaterni imputantur, cum ſeptima cœptante Roma condita ſit,inter exortum vrbis,& Troiam captam,iure eſſe quadringintos annos & triginta tres conſtat. Huic argumento id accedit,quòd cum Caius Põpeius Gallus,& Quintus Verannius,vrbis conditæ anno octingenteſimoprimo fuerunt Conſules , conſulatu eorum Olympias ſeptima & ducenteſima actis publicis annotata eſt.Quatter ergo multiplicatis ſex & ducentis Olympiadibus,erunt ãni octingenti viginti quatuor,de quibus ſeptima Olymp. annectendus eſt primus annus,vt in ſolidũ colligantur anni octingenti viginti quinque.Ex qua ſumma detractis viginti annis & quatuor , Olympiadum retro ſex , manifeſtè anni octingenti & vnus reliqui fient.Quapropter cum octingenteſimo primo anno vrbis cõditę, ducéteſima ſeptima Olympias cõputetur,par eſt Romam ſeptimæ Olympiadis anno primo credi conditam,In qua regnatum eſt annis ducentis quadraginta vno.Decemuiri creati anno trecenteſimo ſecundo.Primũ Punicum bellũ anno quadringenteſimo octogeſimonono.Secundũ,anno quingéteſimo triceſimoquinto. Tertium , ſexcenteſimoquarto.Sociale ſexcenteſimo ſexageſimoſecundo. Ad Hircium & Caiũ Panſam conſules anni ſeptingenti & decem.

Quorum

Quorum consulatu Cæsar Augustus consul creatus est, octauumdecimum annum agens, qui principatum ita ingressus est, vt viligantia illius nõ modò securum, verũetiam tutũ imperium esset. Quod tempus fermè solum repertum est, quo plurimum & arma cessauerunt, & ingenia floruerunt, scilicet ne inerti [o] iustitio languerunt virtutis opera bellis quiescentibus.

IN CAP. II. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a V.C. culta. b V.C. Ibi Trigemina. c V.C. *Gellius*, vterque Auctoribus notus. d Liuius li. 1. Dionys lib. 1. Diod. Sic. lib. 5. e D. Delrio ex membranis legit, *sacrificolis daret*. f vid. Plin. li. 10. c. 28. g Plutarch. in Romulo ait, Romæ ab initio haud ∞ domos plures fuisse. quas C. Nepos & Plin. scandulis tectas affirmat. h Romuli casa extitit Dion. Halic. tempore. i Iuno Moneta dicta, quòd ex Æde eius in arce vox audiretur, cùm non multum post exactos Reges terræ motu Roma concuteretur. *vid. Cic. lib. 1. de Diuin.*

k Potius legendum *tertia decima*: Bellum enim Sabinorum cum Romanis circa annum x x 1. regni Romuli cœptum est, & durauit annis 1 1 1. cũ Romulo verò Tatius annos v. tenuit principatum: fiunt igitur x x v 1 1 1. id est, Olympiades v 1 1. quibus si v 1. addideris, quæ Vrbem conditam præcesserunt, erũt Olympiades x 1 1 1. l A mugitu dicta, quòd per eam venale pecus ingrederetur. m ex Varrone legendum *fagutalem lucum*. fagutal locus fagis consitus. n Pausanias in Arcad. Γ'φιτον vocat. o Nonnulla exemplaria habent, *ne inerti Iustitia, langueſceret Virtutis opera*: sed corrigendum *Iustitio*, hoc quid sit, notum omnibus. Lucanus in 2.

Ergo vbi concipiunt quantis sit cladibus Vrbi
Constatura fides superûm, ferale per vrbem
Iustitium, latuit plebeio tectus amictu
Honos. & lib. 5. —*merentia tecta*
Cæsar habet, vacuáque domos legésque silentes,
Clausáque Iustitio tristi fora.

CAP III.

De diuisione anni,& diebus intercalaribus.

TVnc ergo primùm cursus anni perspecta ratio,quæ à rerum origine profunda caligine tegebatur. Nam [a] ante Augustũ Cæsaré incerto modo annum computabant,quia apud Aegyptios quatuor mẽsib. terminabatur,apud Arcades trib⁹,apud Acarnanas sex,in Italia apud [b] Lauinios tredecim, quorum annus trecenti septuagintaquatuor dieb⁹ ferebatur:Romani in initio annũ decem mensibus computabant,à Martio auspicantes,adeo vt eius die prima de aris Vestalibus ignẽ accenderẽt,[c] mutarẽt veteribus virides laureas,Senatus & populus Comitia agerent,matronæ seruis suis cœnas ponerent,sicuti Saturnalibus domini:Illæ vt honore promptius obsequium prouocarent, hi quasi gratiá repensarẽt perfecti laboris.Maximè hunc mẽsem principem tenantur fuisse,ꝙ qui ab hoc quintus erat,Quintilis dictus est,deinde numero decurrẽte,[d]Decẽber solẽnem circum finiebat intra diem trecentesimũ quartum. Tunc enim iste numerus explebat annũ,ita vt sex menses tricenûm dierum essent,quatuor reliqui tricenis & singulis explicarẽtur. Sed quoniam ratio illa ante Numam à Lunæ cursu discrepabat,lunari computatione annum peræquarunt, quinquaginta & vno die adiectis. Vt ergo perficerent X I I. menses,de sex mensibus prioribus detraxerunt dies singulos,eósque quinquaginta istis & vni adnexerunt, factíque quinquaginta V I I.diuisi sunt in duos mẽ seis,quorum alter X X I X,alter X X V I I I.dies continebat.

tinebat. Sic annus habere quinque & quinquaginta & trecentos dies cœpit, postmodum cum perspicerent temerè annum clausum intra dies quos supra diximus,[e] quandoquidem appareret solis meatum non ante trecentesimum sexagesimum quintum diem, abundante insuper quadrantis particula Zodiacum conficere decursum, quadrantem illum & decem dies addiderunt, vt ad liquidum annus trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante constaret, hor ante obseruatione imparis numeri, quem Pythagoras monuit præponi in omnibus oportere. Vnde propter dies impares Dijs superis & Ianuarius dicatur, & propter pares Februarius quasi abominosus Dijs inferis deputatur Cùm itaque hæc definitio toto orbi placuisset, custodiendi quadrantis gratia, à diuersis gentibus variè intercalabatur, nec vnquam tamen ad liquidum fiebat temporum adequatio. Græci ergo singulis annis x i. dies & quadrantem detrahebant, eósque octies multiplicatos in annum nonum reseruabant, vt contractus nonagenarius numerus in treis mẽseis per tricenos dies scinderetur. Qui anno nono restituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos ἐμβολισμοὺς, vel ὑπερβάλλοντας nominabant. Quod cùm initio Romani probassent contemplatione, numeri parilis offensione neglectum breui perdiderunt, translata in Sacerdotes intercalandi potestate. Qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum, pro libidine sua subtrahebant tempora, vel augebant. Cum hæc sic forent constituta, modúsque intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret inminutior, vel omnino dissimulatus præteriretur,

nonnunquam accidebat, vt menſes, qui fuerant hyeme tranſacti, modò in æſtiuum, modò in autumnale tempus inciderent. Itaque C. Cæſar vniuerſam hanc inconſtantiam inciſa temporum tumultatione compoſuit, & vt ſtatum certum præteritus acciperet error, dies XXI. & quadrãtem ſimul intercalauit. Quo pacto regradati menſes de cætero ſtatuta ordinis ſui tempora detinerent. Ille ergo annus ſolus trecentos XLIIII. dies habuit. Ali deinceps trecentos ſexagenos quinos, & quadrantem: & tunc quoq; vitium admiſſum eſt per Sacerdotes. Nam cũ præceptum eſſet anno quarto vt intercalarent vnũ diem, & oporteret, confecto quarto anno id obſeruari antequam quintus auſpicaretur, illi incipiente quinto intercalarunt, non deſinente. Sic per annos ſex & XXX. cum nouem dies tantùm ſufficere debuiſſent, XII. ſunt intercalati. quod [f] deprehenſum Auguſtus reformauit, iuſſitque annos XII. ſine intercalatione decurrere, vt tres illi dies qui vltra nouenarios temerè fuerant intercalati, loc modo poſſent repenſari. Ex qua diſciplina omniũ poſtea temporum fundata ratio eſt. § Verùm dũhæc, & multa alia Auguſti remporibus debeantur, qui penè ſolus ſine exemplo rerum potitus eſt, tot & tanta in vita eius inueniuntur aduerſa, vt non ſit facile diſcernere, [h] calamitoſior, an beatior fuerit. Primùm, quòd apud auunculum in petitione magiſterij equitum prælatus eſt ei Lepidus tribunus, cum quadam auſpicantium cœptorum nota: Mox triumuiratus collegium, præ graui poteſtate Antonij: Philippẽſis inde proſcriptionis inuidia, Abdicatio Poſthumi Agrip-

pæ

pæ post adoptionem, Deinde desyderio eius insignis pœnitentia, naufragia Sicula, Turpis ibi in spelunca occultatio, Seditiones militum plurimæ, Perusina cura, Detectum filiæ adulterium, & voluntas parricidialis. Nec minore dedecore neptis infamia incusatæ de morte filiorum, & amissis liberis non solum orbitatis dolor, sed Vrbis pestilentia, [i] Fames Italiæ bello Illyrico, Angustiæ rei militaris, Corpus morbidum, Contumeliosa dissensio priuigni Neronis, Vxoris etiam, & Tiberij cogitationes parum fidæ. Atque in hunc modum plura. Huius tamen suprema, quasi lugeret seculum, penuria insecuta est frugum omnium. At ne fortuitum quod acciderat videretur, imminentia mala non dubijs signis apparuerunt. [k] Nam Fausta quædam ex plebe partu vno edidit quatergeminos, mares duos, & fœminas totidem, monstrosa fœcunditate portendens futuræ calamitatis indicium, quamuis Trogus author affirmet in Ægypto septenos vno vtero simul gigni. [l] Quod ibi minùs mirum, cum fœtifero potu Nilus, non tantum terrarum, sed & hominum fœcundet arua. Legimus Cn. Pompeium, Eutychidem fœminam Asia exhibitam, quam constabat tricies enixam cum x x. eius liberis in theatro suo publicasse. Vnde competens hoc loco duco super hominis generatione tractare. Etenim cum de animalibus, quę dictu digna videbuntur, prout patria cuiusque admonebit, simus notaturi, iure ab eo potissimum ordiemur, quod rerum natura sensus iudicio, & rationis capacitate præposuit omnibus.

IN CAP. III. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Cęsar Dictator annum ad solis cursum accommodauit, vnde apud Lucan. in 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

De diuersitate autem annorum vide Lactant. lib. 2. c. 13. August. li. de Ciu. 15. c. 12. 13. 14. Macrob. 1. Satur Gell. lib. 3. cap. 2. Censor. c. 14. libri quē de die natali ad Cornelium scripsit.

V.C. Latinos. c Ex Macrob. legendum. *mutarēt viridibus veteres laureas.* d V.C. solemnem numerum, circuitúmque.

e Hac de re inter Astrologos non conuenit. Philolao annus naturalis dies habet 365, & dimidiatum. Harpalo 365, & horas æquinoxiales 13. Ennio 366. plerisque 365. lege Ammianum 26. Annus autem 365. dierum cum quadrante primùm ab Ægyptiis fuit repertus, Gręcis verò per Platonem & Eudoxum, qui in Ægypto annos 13. versati, diuulgatus, vt ait Strabo lib. vltimo. f V.C. *reprehensum.* g hunc totum locum ex Plin. lib. 7. c. 45. transtulit Solinus. h Vide Sueton. in eius vita. Reperies autem apud Senecam cap. 15. de consolat. ad Martiam, Augustum hęc fortiter tulisse. i Vid. Appian. lib. 5. Ciuil. k Vid. Plin. lib. 7. c. 3. l Vide Aristot. cap. 4. lib. 7. de natur. Animal. Gellium lib. 10. c. 2. Albertus cap. 5. de animal. 9. narrat, se ex Medico quodam audiuisse, nobilem quandam mulierem, ad cuius curam fuerat vocatus, 150. fœtuum simul feciisse abortum. Sed cum mulier se vermes è matrice emisisse crederet, pueri figurati inuenti sunt, quantitatis auricularis digiti,

CAPVT IV.

De menstruis, de homine, de Alectorio lapide.

ITaque, vt Democritus physicus ostendit, Mulier, solum animal menstruale est, cuius profluuia non paruis spectata documentis inter monstrifica meritò numerantur. Contactæ his fruges non germinabunt,

bunt, aceſſent muſta, morientur herbæ, amittent arbores fœtus, ferrum rubigo corripiet, nigreſcent æra. Siquid canes inde ederint, in rabiem efferabuntur, nocituri morſibus, quibus lymphaticos faciunt. Parua hæc ſunt. Bitumẽ naſcitur in Iudæa, quod Aſphaltites gignit lacus, adeo lentum mollitie glutinoſa, vt à ſe nequeat ſeparari. Enimuerò ſi abrũpere parte velis, vniuerſitas ſequatur: ſcindíq; non poteſt quoniam in quantum ducatur extẽditur. Sed vbi ad mota fuerint cruore illo polluta fila, ſponte diſcerpitur, & applicita tabe, diducitur paulò ante corpus vnum, fitque de tenacitate connexa contagione partitio repentina. Habet planè id ſolum ſalutare, quod auertit ſydus Helenes perniciosiſſimum naui-gantibus. Cæterum ipſæ fœminæ, quibus munus eſt neceſſitatis huiuſmodi, quandiu ſunt in ſua lege, non innocentibus oculis contuentur. Aſpectu ſpecula vitiant, ita vt hebetetur viſu fulgor offenſus, & ſolitam æmulationem vultus extinctus ſplendor amittat, faciesque obtuſi nitoris quadam caligine nubiletur. Mulierum aliæ in æternum ſteriles ſunt, aliæ mutatis coniugijs exuunt ſterilitatem, nonnullę tantùm ſemel pariunt. Quædam aut fœminas aumares ſemper. Poſt annum quinquageſimum fœcunditas omnium conquieſcit. [a] Nam in annum L X X X viri generant, ſicuti [b] Maſiniſſa rex Metymnum filium L X X X & ſextum agens annum genuit. Cato octogeſimo exacto ex filia Salonij clientis ſui auum Vticenſis Catonis procreauit. Compertũ & illud eſt, quòd inter duos conceptus cum interceſſerit paululum temporis, vterque reſidet, ſicut

in Hercule & Iphiclo apparuit, fratre eius, qui gestati eodem onere, interuallis tamen, quibus concepti fuerant, nati videntur. Et de Proconesia ancilla, quæ è duplici adulterio geminos edidit, vtrumque patri similem. Hic Iphiclus Iolaum creat, qui Sardiniam ingressus, palanteis incolarũ animos ad concordiam eblanditus, Olbiam, & alia græca oppida extruxit. Iolenses ab eo dicti, sepulchro eius templũ addiderunt, quòd imitatus virtutes patrui, malis plurimis Sardiniam liberasset. Ante omnia sobolem cogitãtibus sternutatio post coitus cauẽda, ne priùs semen excutiat impulsus repentinus, quàm penetralibus se maternis insinuet paternus humor. Quod si naturalis materia hæserit, decimus à conceptu dies dolore grauidas admonebit. Iam inde incipiet & capitis inquietudo, & caligine visus hebetabitur. Ciborum quoque fastidijs stomachi claudetur cupido. [c] Conuenit inter omnes, corda primum ex vniuersa formari carne, eáque in diem quintum & sexagesimum crescere, deinde minui: Ac ex ossibus spinas: ea propter capitale est, si pars [d] alterutra noceatur. Planè si corpusculum in marem figuratur, melior est color grauidis, & pronior paritudo vteri. Denique à quadragesimo die motus est. Alter sexus nonagesimo die primum palpitat. Et concepta fœmina gestantis vultum pallore inficit. Crura quoque præpedit languida tarditate. In vtroque sexu cum capilli germinant, incommodum maius est. Fitque pleniluniis auctior ægritudo, quod tempus etiam editis [e] semper nocet. Cum salsiores escas edit gauida, vnguiculis caret partus. At cum propè ad

vterum

vterum liberádum venerint momenta maturitatis, enitenti ſpiritum retinere plurimũ congruit, quandoquidem letali mora oſcitatio ſuſpendit puerperia.[f] Contra naturam eſt in pedes procedere naſcentes: quapropter velut ægrè parti, appellantur Agrippæ: Ita editi minus proſperè viuunt, & de vita æuo breuiori decedunt. Denique in vno M. Agrippa felicitatis exemplum eſt, nec tamen vſque eò inoffenſæ, vt non plura aduerſa pertulerit, quàm ſecunda. Nam & miſera pedum valetudine, & aperto coniugis adulterio, & aliquot infelicitatis notis retrouerſi ortus omen luit. Fœminis perinde eſt infauſta natiuitas, ſi [g] concretum virginale fuerit, quo pacto genitalia fuere [h] Corneliæ, quæ editis Gracchis oſtẽtum hoc piauit ſiniſtro exitu liberorũ. Rurſum necatis matribus ortus eſt auſpicatior, ſicut Scipio Africanus prior, qui defuncta parente, quòd exciſus vtero in diem venerat, primus Romanorum Cæſar dictus eſt. E geminis, ſi remanẽte altero, alter ab ortiuo fluxu exciderit, alter qui legitimè natus eſt, Vopiſcus nominatur. Quidam etiam cum dentibus procreantur, vt Cn. Papyrius Carbo, [i] & M Curio Dentatus ob id cognominatus. Quidam vice dentium continui oſſis armantur ſoliditate, qualem filiũ Bithyniorum rex Pruſias habuit. Ipſum dentium numerum diſcernit qualitas ſexus, cum in viris plures ſint, in fœminis pauciores, quos κυνόδοντας vocant. Et quibus gemini prodeunt à dextra parte, fortunæ blandimenta promittunt: quibus à læua, verſa vice. Naſcentium vox prima vagitus eſt. Lætitiæ enim ſenſus differtur in quadrageſimũ diem. Itaq;

vnum nouimus eadem hora risisse; qua erat natus, scilicet Zoroastrem, mox optimarum artium peritissimum. At Crassus auus eius, quem rapuerũt bella Parthica, quòd nunquam riserit, fertur Agelastos cognominatus. Inter alia Socratis magna præclarum illud est, quod in eodem vultus tenore etiã aduersis interpellãtibus perstitit. Heraclitus & Diogenes Cynicus nihil vnquam de rigore animi remiserunt, calcatisq; turbinibus fortuitorum, aduersus omnem dolorem & miseriam vniformi durauere proposito. Pomponium Poëtam Cõsularem virum nunquam ructasse habetur inter exempla. Antoniam Drusi non spuisse percelebre est. Nonnullos accepimus nasci concretis ossibus,[k] eósque neque sudare, neque sitire consuesse, qualis Syracusanus fertur Lygdamus, qui tertia & tricesima olympiade primus ex olympico certamine Pancratij coronam reportauit: eiusque ossa deprehensa sunt medullas non habere. Maximam virium substantiam neruos facere certissimum est, quãtóque fuerint densiores, tanto propẽsius augescere firmitatem. Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis annotauit [l] Tritanum gladiatorem natura Samnitem fuisse, qui & rectis & transuersis neruis non modò crate pectoris, sed & manibus cancellatis & brachijs, omneis aduersarios leui tactu, ac penè securis congressionibus vicerit, eiusque filium militem Cn. Pompeij pari modo natum, ita spreuisse hostem prouocantem, vt inermi eum dextra & superaret, & captum digito vno in castra imperatoris sui reportaret. Milonem quoque Crotoniensem ferũt egisse omnia su-

pra

pra quàm homo valet. De quo etiam hoc proditur, quòd ictu nudæ manus taurum fecit victimam: eũque solidum, qua mactauerat die absumpsit solus, non grauatus. Super hoc nihil dubium. Nam factum elogium extat.[n] Victor ille omnium certaminum obijt.[o] Sanè Alectorius traditur lapis, qui crystallina specie, in modum fabæ, in gallinaceorum ventriculis reperitur, aptus, vt dicunt, præliantibus.[p] Milo porrò Tarquinij Superbi Prisci temporibus enituit.

IN CAP. IIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Aristot. lib. 7. cap. 6. de natur. anim. vltra 70. nihil assignat.

b De Masiniſſę fenio pręter Plin. li. 7. c. 14. lege Val. lib. 8. c. 14. plurimi codices habent *Mathumannum.*

c Scimus ex Plutarch. li. de placitis philosophorum hac de re maximam esse dissensionem.

d CL. D. Delrio legit *si parti alterutri noceatur.*

e lege *recens.*

f Huius periculi deprecandi gratia, duabus Carmentibus Romę arę positę, quarum altera Postuerta, Prosa altera, à recti peruersique partus potestate ac nomine, dicta.

g D. Delrio emendat, *si consertum virginal fuerit.*

h Hęc filios & occisos, & insepultos vidit, consolantibus tamen, miseramque dicentibus, nunquam, inquit, infelicem me dicam, quę Gracchos peperi. Senec de consol.

i repone *curius.*

k Cic. Tuscul. ex Lucil. sententia, hunc M. Crassum semel in vita risisse dicit.

l ex Plin. lib. 7. c. 18. Demophon Alexandri pręfectus ad vmbram calefiebat, sole verò rigebat.

m legendum, *Tritanum Samnitem gladiatorem naturâ fuisse.* vide apud Val. lib. 9. c. 1. de Polyda Athleta.

n Antiquus meus codex habet, *Victor ille omnium certaminum quæ obiit.* Et sanè ad amplificandas Milonis laudes

melius: de ænea autem illius statua, & hoc eulogio vide Philostratum lib. 4. vitę Apollonij.

o CL. D. Delrio corrigit, *sanè Alectore vsus traditur, qui specie crystallina, fabæ modo, in gallinaceorum, &c.*

p lego, *Prisci Tarquinij, & Superbi temporibus.* Strab. li. 16. Milonem hunc Pythagorę discipulum, & Herod. in Thla. Dario I v. Persar. Regi notum fuisse annotant.

CAP. V.

De similitudine, & corporum proceritate. De mensura hominis, & pudore defunctorum.

IAM verò qui deflexum animum referat ad similitudinum causas, quantum artificis naturæ ingenium deprehēdet? Interdum enim ad genus spectant, & per sobolem in familias transitus faciunt: sicut plerumque paruuli modò neruos, modò cicatrices, modò qualescũque originis suæ notas ferunt: vt in Lepidis, quorum tres, interuulsa tamen serie, ex eadem domo obducto membrana oculo similes geniti reperiuntur: vt in Byzantino nobili [a] pugile, qui cum matrem haberet adulterio ex Æthiope cõceptam, quæ nihil patri comparandum reddidisset, ipse in Athiopem auum degenerauit. Sed hoc minùs mirum, si respiciamus ad ea quæ spectata sunt inter externos. Regem Antiochum. [b] Arteon quidá ex plebe Syriaca sic facie æmula mętiebatur, vt post modùm Laodice vxor regia obiecto populari isto tãdiu dissimulauerit defunctũ maritũ, quoad ex arbitratu eius regni successor ordinaretur. Inter Cn. Pompeium [c] & Vibium humili loco natum, tantus error extitit de paribus lineamentis, vt Romani Vibium Pompeij nomine, Pompeium Vibij vocabulo cogno-

cognominarent. Oratoré L. Plancũ Rubrius histrio sic impleuit, vt & ipse Plácus à populo vocaretur. [d] Armentarius Mirmillo & Cassius Seuerus orator ita se mutuo reddiderunt, vt si quándo pariter viderentur, dignosci non possent, nisi discrepantiam habitus indicaret. M. Messalla Censorius, & Menogenes ex fęce vulgari, hoc fuerunt vterque, quòd singuli, nec alium Messallam, quàm Menogenem, nec Menogenem alium quàm Messallam putarũt. [f] Piscator ex Sicilia proconsuli Suræ præter alia etiam rictu oris comparabatur. Ita in eodem vocis impedimento, & tardatæ sono linguæ naturalibus offendiculis congruebant. Interdum verò non modò inter externos, sed etiam inter conductos ex diuersissima parte orbis miracula indiscreti vultus fuere. Denique cum Antonio iam triumuiro Thoranius quidá eximios forma pueros velut geminos [g] trecentis sestertijs vendidisset, quorum alterum de transalpina Gallia, alterum ex Asia comparauerat, adeóque vna res viderentur, nisi solus sermo fidem panderet, atque ideo se Antonius illusum grauaretur, nõ infacetè Thoranius, id vel præcipuè, quod emptor criminabatur, pretiosum comprobauit. Neque enim mirum, si forent pares gemini. Illud nullis posse taxationibus æstimari, quòd tantis spatijs diuersitas separatos, plus quàm geminos contulisset. Quo respõso adeo Antonius mitigatus est, vt deinceps nihil se habere carius in substantia sua iactaret. [h] Nunc si de ipsis hominũ formis requiramus, liquidò manifestabitur, nihil de se antiquitatem mendaciter prędicasse, sed corruptam degeneri successione so-

lem noſtri temporis per [i] naſcentium detrimenta de cus veteris pulchitudinis perdidiſſe. Licèt ergo plerique definiant, nullum poſſe excedere longitudiné ſeptem pedum, quòd intra hunc modum Hercules fuerit, deprehenſum eſt tamen Romanis temporibus ſub D: Auguſto Puſionem & Secundillam decnos pedes, & amplius habuiſſe proceritatis, quorũ reliquiæ adhuc in conditorio Salluſtianorum videntur: poſtmodùm D. Claudio principe Gabbaram nomine, ex Arabia aduectum, nouem pedum, & totidé vnciarum. Sed ante Auguſtum annis fermè mille non apparuit forma huiuſmodi, ſicut nec poſt Claudium viſa eſt. Quis enim æuo iſto non minor ſuis parentibus naſcitur? [k] Priſcorum autem molem teſtantur etiã Oreſtis ſuprema, cuius oſſa olympiade quinquageſima & octaua Tegeæ inuenta à Spartanis oraculo monitis, didicimus impleſſe longitudinem cubitorum ſeptem. Scripta quoque ex antiquitate memoriæ arceſſunt in fidem veri, quibus receptum eſt, quòd bello Cretico, cùm elata flumina impetu plus quàm vi amnica inuecta terras rupiſſent, poſt diſceſſũ fluctuum inter plurima humi diſſidia, humanum cadauer repertum ſit cubitûm trium atque triginta, cuius ſpectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum impendiò admodum captos miraculo, quod auditu refutarant, oculis potitos. Non omiſerim [l] Salaminam Euthymenis filium creuiſſe in triennio tria cubita ſublimitate, ſed inceſſu tardo, ſenſu hebeti, robuſta voce, pubertate feſtina, ſtatimque obſeſſum morbis plurimis, immoderatis ægritudinum ſupplicijs compẽ

ſaſſe

ſaſſe præcipitem incrementi celeritatem. Menſuræ ratio bifariam conuenit. Nam quantus manibus expanſis inter digitos longiſſimos modus eſt, tantum conſtat eſſe inter calces & verticem. Ideóque phyſici hominem minorem mundum eſſe iudicarunt. [m] Parti dextræ habilior adſcribitur motus, læuæ firmitas maior. Vnde altera geſticulationibus promptior eſt, altera oneri ferẽdo accommodatior. Pudoris diſciplinam etiam inter defuncta corpora natura diſcernit, vt ſi quando cadauera necatorum fluctibus euehantur, virorum ſupina; prona fluitent fœminarum. Verùm iam ad pernicitatis titulum tranſeamus.

IN CAP. V. NOTÆET EMENDATIONES.

a Alia exemplaria habent *Poeta*, ex ſententia Plinij lib. 7. cap. 12. Ariſt. verò hoc in Sicilia accidiſſe teſtatur cap. 6. lib. 7. de natur. Animal.

b Apud Val. lib. 9. c. 15. *Artenio* legitur, item, nõ ex plebe Syriacá, ſed vnus, inquit, ex æqualibus, & ipſe Regię ſtirpis, nomine Artenio Regi Antiocho perquàm ſimilis fuiſſe traditur.

c In veteribus Valerij exemplaribus Iunium, non Vibium reperires, quod & Hermolaus annotat.

d Vid. Plin. & Hermolaum.

e non malè corrigit D. Delrio, *ex fæce vulgi*.

f Hinc apud Valer. in vtrumque iocus. Proconſule enim dicente, mirari ſe quapropter ſui tam ſimilis eſſet cùm Pater ſuus in Prouinciam nũquam acceſſiſſet: At meus, inquit, Romam frequenter acceſſit. ioco namque laceſſitam matris ſuę pudicitiam, inuicem ſuſpicione in matrem eius reiecta, audaciùs quàm virgis & ſecuribus ſubiecto conueniebat, vllus eſt.

g Plin.lib.7.c.12.*ducentis* scribit.

h Consule super hanc sententiam Nicolaum Lyranum,in 5.cap.Genes.

l in V.C.est,*ascendi*.

k Historiam, vel vt Gell.lib.3. c. 10.putat, fabulam habet Herodot. lib.1.Lycophron Achillem vocat ἑπλαπάσιν vel ἑπλαπυσιόσιον,à septem cubitis,vide Plin lib, 7.c.16.

l V.C. Salaminæ.

m Quia iecur ob sanguinis copiam,calidum omnino naturâ in dextro latere situm esse constat. Pars dextra etiam sanabilior est, quod per exercitationem ampliorem, materiæ compescuntur,& sanitati redduntur opportuniores.

CAP. VI.

De velocitate,visu,& fortitudine.

PRimam palmam velocitatis [a] Ladas quidam adeptus est,qui ita supra cauum puluerem cursitauit,vt arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum.Polymnestor Milesius puer, cum à matre locatus esset ad caprarios pastus,ludicro lepore consecutus est,& ob id statim productus à gregis domino Olympiade sexta & quadragesima, vt Boëthus author est, victor in stadio meruit coronam.Philippides biduo mille [b] ducéta quadraginta stadia ab Athenis Lacedemoné decurrit.Anistius Lacon & Philonides Alexandri magni cursores à Sicyone Elin vsq; mille ducenta stadia vna die transierunt,[c] Fonteio,Vipsanoq; COSS.in Italia octo ános puer natus,quinq; & x L.millia passuum à meridie transiuit ad vesperum. Visu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem perspexisse per cétum

xxxv millia passuum Varro significat, solitúmque à Carthagine exeuntem classem Punicam, numerúmq; nauiũ manifestissimè è Lilybetana specula denotare. Cicero tradit Iliada Homeri ita subtiliter in membranis descriptam, vt testa nucis claderetur.[d] Callicrates formicas ex ebore ita sculpsit, vt portio earũ à cæteris secerni nequiuerit. Apollonides perhibet in Scythia fœminas nasci,[e] quæ Bithyæ vocantur, háſq; in oculis pupillas geminas habere, & perimere visu, siquem fortè iratæ aspexerint. Hæ sunt & in Sardinia. Præualuisse fortitudine apud Romanos[f] L. Sicinium Dentatum titulorum numerus ostẽdit. Tribunus hic plebis fuit non multo post exactos reges, Spurio Tarpeio, A. Thermo COSS. Idé ex prouocatione octies victor, xl. & v. habuit aduersas cicatrices, in tergo nullam notam. Spolia ex hoste tricies & quater cepit. In phaleris, hastis puris, armillis, coronis trecenta xii. dona meruit. Nouem imperatores, qũi opera eius vicerant, triumphantes prosecutus est. Post hunc M. Sergius duobus stipendijs, primo, aduerso corpore ter & vicies vulneratus: secũdo stipendio in prælio dextrã perdidit. Qua de causa ferream sibi manum fecit; & cum neutra penè idonea ad præliandum valeret, vna die quater pugnauit, & vicit sinistra, duobus equis eo insidente confossis. Ab Annibale bis captus refugit, cum viginti mensibus, quibus captiuitatis sortem perferebat, nullo momento sine compedibus fuerit, & catenis. Omnibus asperrimis prælijs, quæ tempestate illa Romani experti sunt, insignitus donis militaribus à Thrasymeno, Trebia Ticinoque co-

ronas ciuicas retulit. Cannensi quoque prælio, de quo refugisse eximium opus virtutis fuit, solus accepit coronam. Beatus profecto tot suffragijs gloriarum, ni hæres in posteritatis eius successione Catilina tantas adoreas odio damnati nominis obumbrasset. Quantum inter milites Sicinius, aut Sergius, tãtũ inter duces, imò, vt verius dicam inter omneis homines Cæsar dictator enituit. g Huius ductibus vndecies cẽtum & nonaginta duo millia cæsa sunt hostium. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, nõ luit annotari. h Signis collatis quinquagies & bis dimicauit: M. Marcellum solus supergressus, qui nouies & tricies pari modo fuerat prælìatus. Ad hæc nullus celerius scripsit. Nemo velocius legit. Quaternas etiam epistolas simul dictasse perhibetur: benignitate adeo præditus, vt quos armis subegerat, clementia magis vicerit.

IN CAP. VI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Iphiclus Philaci & Climenes filius, tantæ, vt ait Hesiodus, pernicitatis fuit, vt ex curreret ἐπὶ στυφίνων ἀθέρων, id est super triticeas aristas, eas non oblædens.

b Plin. & melìora Solini exemplaria habent M C X L.

c De his COSS. prẽter Plinium, vide Tacitum lib. 11. & 15. item Iuuenalem Satyra 13.

d Plin. lib. 7. cap. 21. & lib. 36. c. 5.

e Steph. has in Thracia esse dicit.

f Rectè D. Delrio *Siccium* legit: nam apud Dionys. est, Λεύκιος, Σίκκιος, Δεντάτος.

g Apud Ennium gloriatur Africanus:

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli cæli maxima porta patet.

h Plin. lib. 7. c. 25. Signis collatis quinquagies dimicauit.

CAP.

CAP. VII.

De memoria. De voce adempta, & adepta. De morum laude. De eloquentia. De pietate. De pudicitia, & felicitate.

CYrus a memoriæ bono claruit, qui in exercitu, cui numerosissimo præfuit nominatim singulos alloquebatur. Fecit hoc idem in populo Romano. [b] L. Scipio. Sed & Cyrum, & Scipionem cõsuetudine credamus profeciſſe. [c] Cyneas Pyrrhi legatus postero die quam ingressus Romam fuerat, & equestrem ordinem, & Senatum proprijs nominibus salutauit. [d] Rex Ponticus Mithridates duabus & viginti gentibus, quibus imperitabat, sine interprete iura dixit. Memoriam ex arte fieri palàm factum est, sicut Metrodorus philosophus, qui temporibus [e] Diogenis Cynici fuit, in tantum se meditatione assidua prouexit, vt à multis simul dicta, non modo sensuum, sed etiam verborum ordinibus retineret. Nihil tamen in homine aut metu, aut casu, aut morbo facilius intercipi, sæpe perspectum est. [f] Qui lapide ictus fuerat, accepimus oblitum literarũ. Messallam certè Coruinum post ægritudinem quam pertulerat, percussum proprij nominis obliuione, quamlibet aliâs ei sensus vigeret. Memoriam metus perimit. Inuicem timor vocis est incitamentum, quam non solum acuit, sed etiam, si nunquã fuerit, extorquet. Denique cum Olympiade octaua & quinquagesima victor Cyrus intrasset Asiæ oppidum Sardas, vbi tunc Crœsus latebat, Athis fi-

lius Regis mutus ad id vsq; téporis, in vocem erupit vi timoris. Exclamasse .n. dicitur, ᵍ Parce patri meo Cyre, & te hominem esse vel casibus disce nostris.

Tractare de moribus supereſt, quorum excellentia maximè in duobus enituit. ʰ Cato princeps Porciæ gentis senator optimus, optimus imperator, orator optimus, causam tamen quadragies & quater dixit, diuersis odiorum simultatibus appetitus, semper absolutus. Verum Scipionis Æmiliani laus propensior, qui præter bona quibus Cato clarus fuit, ⁱ etiam publico amore præcessit. Vir oprimus Nasica Scipio iudicatus est, non priuato tantùm testimonio, sed totius senatus sacramento, quippe quòd inuentus dignior non fuit, cui præcipuè religionis crederetu. mysterium, cum ᵏ oraculum moneret arcessi sacra Deûm matris Pessinuntiæ. Plurimi inter Romanos eloquentia floruerunt, sed hoc bonum hæreditarium nunquam fuit, nisi in familia Curionum, in qua tres serie continua oratores fuére. Magnum hoc habitum est sanè eo seculo quo facundiam præcipuè & humana & diuina mirata sunt ˡ. Quippe tũc percussores Archilochi poëtæ Apollo prodidit, & latronum facinus Deo arguente detectum est. Cúm que Lysander Lacedæmonius Athenas obsideret, vbi ᵐ Sophoclis Tragici inhumatum corpus iacebat, identidem Liber pater ducem admonuit per quietem, vt sepeliri delicias suas sineret. Nec priùs destitit, quàm Lysander cognito quis obijsset diem, & quid à numine posceretur, inducias bello daret, vsq; dũ cõgruæ supremis talibus exequiæ ducerétur. ⁿ Pindarũ lyricum è cõuiuij loco, cui imminebat rui

na,

na,ne cum cæteris interiret, forinsecus Castor & Pollux vocarunt, inspectatibus vniuersis, Quo effectum est, vt solus impendens periculũ euaderet. Numerádus post Deos Cn. Pompeius magnus, intraturus [o] Possidonij domũ, clarissimi tunc sapientæ professoris, percuti ex more à lictore vetuit foreis, summissisq; fascibus, quamlibet confecto Mithridatico bello, & orientis victor, sententia propria cessit ianuæ literarum. Africanus prior Qu. [p] Ennij statuam imponi sepulcro suo iussit. Vticensis Cato vnum ex tribunatu militum [q] philosophum, alterum ex Cypria legatione Romam aduexit, professus plurimũ se eo facto Senatui & populo Romano contulisse, [r] quanuis proauus eius sæpissimè censuisset Græcos Vrbe pellendos [s] Dionysius tyrannus vittatam nauem Platoni obuiam misit: ipse cum albis quadrigis egredientem è littore occurrens honorauit. Perfectam prudentiam soli Socrati oraculum Delphicum adiudicauit. [t] Pietatis documentum nobilius quidem in Metellorum domo effulsit, sed eminentissimum in plebeia puerpera reperitur, humilis hęc atque ideo famæ obscurioris, [u] cum ad patrem, qui supplicij causa claustris pœnalibus continebatur, ægrè obtinuisset ingressum, exquisita sæpius à ianitoribus, ne fortè parenti cibum sumministraret, alere eum vberibus suis deprehensa est. Quæ res & factũ & locum consecrauit. Nam qui morti destinabatur, donatus filiæ in memoriam tanti præconij reseruatus est. Locus dicatus suo numini, Pietatis sacellum fuit. Nauis à Phrygia gerula sacrorum, dum sequitur vittas castitatis, contulit Claudiæ principatum

pu-

dicitiæ. Et Sulpitia Paterculi filia, [x] M. Fuluij Flacci vxor, censura omnium matronarũ è centum probatissimis haud temerè electa ést, quæ simulacrum Veneris, vt Sibyllini libri monebant, dedicaret. Qui attingat ad titulum [y] felicitatis, necdũ repertus ëst, & qui felix censeri iure debuerit. Nanque Cornelius [z] Sulla dictus potius est quàm fuerit felix. Solum certè beatum Cortina * Aglaum iudicauit, qui in angustissimo Arciadæ angulo pauperis soli dominus, nunquam egressus parterni cespitis terminos inuenitur.

IN CAP. VII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Pręter Plin. & Solin. meminit huius Val. lib. 8. cap. 7. Quintil. lib. 11. cap. 2. addit eum etiam plurimos versus semel auditos, protinus reddidisse.

b Hic fuit P. Scipionis frater, qui Consul in Asiam missus, Antiochum Syriæ Regem apud Sipylum montem vicit, ac parte regni priuauit, vnde Asiaticus dictus.

c Vide Cic. Tuscul. 1. Plin. lib. 7. c. 24. Plutarch. in Pyrrho & Senec. (qui & mirę fuit memorię) in prolog. 1. Con. vbi ait Intra exiguum paucissimorum dierum tempus, poterit quilibet facere id, quod Cyneas fecit, qui missus à Pyrrho Legatus ad Romanos, postero die, nouus homo, & Senatum, & omnem vrbanam circunfusam Senatui plebem nominibus suis persalutauit.

d de hoc vide Appiani Mithridaticum: & Iustin. 37. & 38.

e Pro *Cynico* legendum *Stoico*. Eo enim die, quo Alexãder Babyloniæ, Cynicus Corinthi obiit, Vrbe cond. 432. vel Olymp. 114. Methrodorus hic vixit cum Mithridate. Strab. lib. 13. & à Cicerone, qui Olympiad. 168. Vrb. cond. 648. obiit, visus est. 2. de Orator. Diogenes Stoicus, cum Carneade, quẽ etiam Cicero vidit, ac Critolao Peripathetico, ab Athenien-

sibus

sibus ad Romanos missus. Gellius in fin. 17. Noctium.

f Val. lib. 1.

g Herod. Thalia. Val. 5. Gell. 5. c. 9. Iustin. 1. Xenophon Ped. 7.

h Hic Censor, cùm L. Flaminium T. Flaminij fratrem, & antè Consularem, quòd ad arbitrium mulierculę, cuius amore tenebatur, quendam in Prouincia, cui pręerat, securi percusserat, è Senatu sustulisset, in templo statuam meruit, cum hac inscriptione, M. CATO. MORVM. RESTITVTOR. hic senex literas Gręcas didicit. Cic. 2. Tuscul. & de Senect. Gellius, cap. 19. lib. 3. 13. Plin. lib. 7. c. 27.

i Tamen ab osoribus Agrarię legis interfectus dicitur. Val. lib. 4. c. 1. Appian. lib. 1. bell. ciuil.

k Liuius lib. 9. Decad. 3.

Mater abest, matrem iubeo, Romane, requiras,
Cùm venier casta est accipienda manu.

vide Silium lib. vlt. Sicul. lib. 4.

l Lege Plin. lib. 7. c. 29. Euseb. pręparat. 5. c. 12.

m De Sophoclis poëtę interitu discordant à Gręcis Latini plures, Val. li. 9. c. 12. & Plin. lib. 7. c. 53. asserunt eum gaudio periisse, accepto Tragicę Victorię nuntio. Gręci fermè omnes vuę acino suffocatum dicunt.

n Simonidi hoc non Pindaro accidisse constat, Cic. 2. de Orator. circa finem. Quintil. instit. lib. 1. cap. de memor. Val. lib. 1. cap. de mirac.

o Fuit hic Ciceronis magister: sphęram effecit, cuius singulę conuersiones idem efficiunt, in Sole, Luna, ac quinque stellis errantibus, quod efficitur in cęlo singulis diebus & noctibus. vide Plutarch. in vita Cic.

p Ouid. 3. de arte:

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni Scipio magne tibi.

q scil. Athenodorum, cognomine Cordilionem Stoicũ. Plutarch. in Cat. Vticens.

r Cûm Carneades Romam veniens, quasi diuino quodã afflatu Romanam iuuentutem ad Gręcarum literarum amorem pellexisset.

s vide Diog. Laert. lib. 3.

t Val. lib. 1. de seruata religione.

v *Cùm ad patrem*, &c. Lego, *cùm ad parentem, quæ*, &c: Nec enim respexit nobilem illam Athenienſem fœminam, quę patrem Cimona velut infantem aluit, cùm non externa, ſed Romana exempla ponat Solinus. vide Plin. & Valer.

x Val. lib. 8. c. 16.

y Rectè Lacon ille, cùm quiſpiam Iapim Æginetã beatum prędicaret, quòd eſſet multarum nauium ditiſſimus gubernator, reſpondit, non eſſe felicitatem quę pẽderet ex funibus. Plutarch. in Apoph.

z Cùm paruulus à nutrice ferrẽtur, mulier obuia, Salue, inquit, puer tibi, & Reip. tuę felix: & ſtatim quęſita, nuſpiam reperiri potuit. Plin. de viris illuſtribus.

* De hoc vide Val. in princ. lib. 7.

CAP. VIII.

De Italia, & eius laudibus, dęq; peculiaribus multis quæ in ea reperiuntur.

DE homine ſatis dictum habeo. Nunc, vt ad deſtinatum reuertamur, ad locorum commemorationem ſtylus dirigendus eſt, atque adeo principaliter in Italiam, cuius decus iam in Vrbe contigimus. Sed Italia[a] tanta cura ab omnibus dicta eſt, præcipuè à M. Catone, vt iam inueniri non poſſit quod non veterum authorum præſumpſerit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materia ſuppetente, dum ſcriptores præſtantiſſimi reputant locorum ſalubritatem, cœli temperiem, vbertatem ſoli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios ſaltus, vitium olearumque prouentus, ouilia, pecuaria, tot amneis, lacus tantos, bifera violaria, inter hæc Veſeuum flagrantis animæ ſpiritu vaporantem, tepẽtes fontibus Baias, colonias tam frequenteis, tam

assiduam nouarum vrbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, quæ primũ Aborigines, Arunci, Pelasgi, Arcades, Siculi, totius postremò Græciæ aduenæ, & in summa victores Romani condiderunt. Ad hæc littora portuosa, orásque habet patentibus gremijs commercio orbis accommodatas. Verùm ne prorsus intacta videatur, in ea quæ minùs trita sunt, animum intendere haud absurdum videtur, & parcius depasta leuibus vestigijs inuiare. Nam quis ignorat vel dictam vel conditam à Iano, Ianiculum, à Saturno Latium, atque Saturniam, à Donaë [c] Ardeam, à comitibus Herculis Polyden, ab ipso in Campania Pompeio, quia victor ex Hispania pompam boum duxerat? In Liguria quoque lapidarios campos, quòd à Ioue eo dimicante credũtur saxa pluisse. Regionem Ionicam ab Ione Naulochi filia, quam procaciter insidentem vias Hercules interemit, vt ferunt: Archippen à Marsya rege Lydorum, quod hiatu terræ haustum, dissolutum est in lacum Fucinum. Ab Iasone templum Iunonis Argiuæ: [d] A Pelope Pisas, à Cleolao Minois filio Daunios, Iapygas à Iapyge Dædali filio, Tyrrhenos à Tyrrheno Lydiæ rege, Coram à Dardanis, [e] Argillam à Pelasgis, qui primi in Latium literas intulerunt. A Phalero Argiuo Phaliscam, à Phalerio Argiuo Phalerios, Fescennium quoque ab Argiuis, portum Parthenium à Phocensibus, Tybur, sicut Cato facit testimonium, à Catilo Arcade præfecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiua iuuentute. Catillus enim [f] Amphiarai filius post prodigiale patris apud Thebas interitum Oeclei aui iussu, cum omni fœtu [g] vel sacro missus treis libe-

ros in Italia procreauit, Tiburtum, Coram, Catillũ, qui depulsis ex oppidõ Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi vrbem vocarunt. Mox [h] in Brutijs ab Vlysse extructum templũ Mineruæ. Insula Ligea appellatá abiecto ibi corpore Sirenis ita nominatę, Parthenope à Parthenopes Sirenis sepulchro, quam Augustus postea Neapolin esse maluit. Pręneste, vt Zenodotus refert, à Pręneste Vlyssis nepote Latini filio: aut, vt Prænestini sonant libri, à Cæculo, quem iuxta ignes fortuitos inuenerunt, vt fama est, [i] Digitiorum sorores. Notũ est à Philoctete Petiliam cõstitutam. Arpos & [k] Beneuentũ à Diomede, Patauium ab Antenore, Metapontum à Pylijs, Scyllaceum ab Athenienſibus, Sybarim à Troëzenijs, & à Sagari Aiacis Locri filio, Salentinos à Lycijs, [l] Anconam à Siculis, Gabios à Galatio & Bio Siculis fratribus, ab Heraclidis Taretum, insulam Tensam ab Ionibus, Pestum à Dorensibus. A Myscello & Archia [m] Crotonam, Rhegium à Chalcidensibus, Caulonam & Terinam à Crotonienſibus, à Naritijs Locros, Heretrum à Græcis in honorem Heræ. sic enim Iunonem Græci vocant. Aritiam ab Archilocho Siculo, vnde & nomen, vt Cassio Heminæ placet, tractum. Hoc in loco Orestes oraculo monitus simulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat, priùs quàm Argos peteret, consecrauit, à Zanclensibus Metaurum locatũ, à Locrensibus Metapontum, quod nunc Vibo dicitur. Bocchus absoluit Gallorum veteré propaginẽ, Vmbros esse M. Antonius asseuerat eosdem, quòd tempore aquosæ cladis imbribus superfuerũt, Vmbros

bros Græcè nominatos. Licinio placet à Mesappo Græco Mesappiæ datam originem, versam postmodum in nomen Calabriæ, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominarat. Par sententia est inter authores, à gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, à Tubicine Miseno Misenum, à consobrina [n]Leucosiá insulam. Inter omnes perspicuè conuenit, à nutrice Caieta Caietam, ab vxore Lauinia Lauinium esse nuncupatum, quod post Troiæ excidium, sicut Cussonius perhibet, quarto anno extructum est. Nec omissum sit Æneam æstate ab Ilio capto secũda, Italicis littoribus appulsum, vt Hemina tradit, socijs nõ ampliùs sexcentis, in agro Laurenti posuisse castra: Vbi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia aduexerat, dedicat Veneri matri, [o]quę ἀφροδίτη dicitur, à Diomede Palladium suscipit, tribúsque mox annis cum Latino regnat, socia potestate, quingentis iugeribus ab eo acceptis. Quo defuncto summam biennio adeptus, apud Numicú apparere desijt. Annõq; septimo patris p indigetis ei nomen datũ. Deinde constitutæ ab Ascanio longa Alba, Fidenæ, Antium, Nola à Tyrijs, ab Eubœensibus Cumæ. ibidem [q] Sibyllæ sacellum est, sed eius quæ rebus Romanis quinquagesima olympiade interfuit, cuiúsque librũ ad Cornelium vsque Sullá Pontifices nostri consulebant. tunc enim vnà cũ Capitolio igni absumptus est. nam priores duos Tarquinio Superbo parcius pretium offerẽte quàm postulabat, ipsa exusserat: cuius sepulcrum in Sicilia adhuc manet. Delphicam autem Sibyllam ante Troiana bella vaticinatam Boëthus [r] perhibet, cuius plurimos versus operi suo Homerum inseruisse

manifestat. Hanc Heriphile Erythræa annis aliquot intercedentibus consecuta est. Sibyllaque appellata est de scientiæ parilitate, quæ inter alia magnifica Lesbios amissuros imperiū maris multo ante præmonuit, quàm id accideret. ita Cumanā tertio fuisse post has loco, ipsa æui series probat. Ergo Italia, in qua Latium antiquum antea à Tyberinis ostijs ad vsque Lyrim amnem pertinebat, vniuersa consurgit à iugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem, & littora Brutiorum, quò in mare meridiem versus protenditur. Inde procedens paulatim se Apénini montis dorso attollit, extensa inter Tuscum & Adriaticum, id est, inter superum mare, & inferū, similis querno folio, scilicet proceritate amplior, quàm latitudine. Vbi longius processit, in cornua duo scinditur, quorum alterum Ionium spectat æquor, alterum Siculum. Inter quas prominentias non vno margine accessum insinuati freti recipit, sed linguis proiectis sæpius, ac procurrētibus distinctum promontorijs pelagus admittit. Ibi, vt obuia passim notemus, arces Tarentinæ, Scyllæa regio, cū Scyllæo oppido, & Crathe flumine Scyllæ matre, vt vetustas fabulata est, Rhegini saltus, Pęstanæ valles, Sirenum saxa, amœnissimus Campaniæ tractus, Phlegræi cāpi, Circes domus, Tarracina insula ante circumflua immenso mari, nunc æuo nectente addita continenti, diuersamque fortunam à Rheginis experta, quos fretum medium à Siculis vi abscidit. Formiæ etiam Læstrygonibus habitatæ. Multa præterea pollētissimis ingenijs edisserta, quæ præterire, q̄ inferius exequi, tutius duximus. Verùm Italiæ lōgitudo, quæ ab Augusta prætoria per vrbem Capuámque

pũámq; porrigitur vſque ad oppidũ Rhegium, decies centena & viginti millia paſſuum colligit. Latitudo vbi plurimum, cccc x: vbi minimum, c x x x vi millia. Arctiſſima eſt ad portum quem Annibalis caſtra dicunt. Neque enim excedit y quadraginta millia. z Vmbilicũ, vt Varro tradit, in agro Reatino habet. At in ſolidum ſpatium circuitus vniuerſi vicies quadragies nouies centena ſunt. In quo ambitu aduerſa Locrenſium fronte ortus à Gadibus finitur Europæ ſinus primus. nam ſecundus à Lacinio auſpicatus, in Acroceraunijs metas habet. Ad hæc aa Italia Pado clara eſt, quem mons Veſulus ſuperantiſſimus inter iuga Alpium gremio ſuo fundit, viſendo fonte in Ligurum finibus, vnde ſe primùm Padus proruit, ſubmerſúſque cuniculo rurſus in agro Vibonenſi extollitur, nulli amnium inferior claritate, à Græcis dictus ὑπίδανος. Intumeſcit exortu canis tabefactis niuibus, & liquentibus brumæ pruinis, auctusque aquarũ acceſſione x x x flumina in Adriaticum defert mare. Eſt è memorabilibus inclytum & inſigniter per omnium ora vulgatum, quod perpaucæ familiæ ſunt in agro Phaliſcorum, quos bb Hirpos vocant. Hi ſacrificium annuum ad mõtem Soractem Apollini faciunt. Idque operantes geſticulationibus religioſis impunè exultant, ardentibus lignorum ſtruibus, in honorem diuinæ rei flammis parcentibus. Cuius deuotionis miniſterium munificentia ſenatus honoratum, Hirpis perpetuò omnium munerum vacationem dedit. cc Gentem Marſorum ſerpentibus illæſam eſſe, nihil mirum. A Circes filio genus ducunt, & de auita potentia deberi ſibi ſentiunt ſeruitium venenorum, ideóque vene-

na contemnunt. C. Cœlius Oetæ treis filias, Angitiam, Medeã, & Circen dicit fuisse, Circen Circæos insedisse monteis, carminum maleficijs varias imaginũ facies mentientem, dd Angitiam vicina Fucino occupauisse, ibique salubri scientia aduersus morbos resistentem, cum desisset homine viuere, deam habitam. Medeam ab Iasone Buthroti sepultam filiúmque eius Marsis imperasse. Sed quamuis Italia habeat hoc præsidium familiare, à serpentibus non penitus libera est. Denique habitatores ab ee Amyclis, quas antea græci cõdiderunt, serpẽtes fugauere. Illic frequens vipera insanabili morsu, breuior hæc cæteris, quàm in alijs aduertimus orbis partibus, ac propterea dum despectui est, facilius nocet. Calabria ff Chersydris frequẽtissima est, & gg Boam gignit, quem anguem ad immensam molem ferunt coalescere. Captat primò greges bubulos, & si quæ plurimo lacte rigua bos est, eius se vberibus innectit, fluctuque continuo saginata, longo seculo ita hh funebri satietate vltimo extuberatur, vt obsistere magnitudini eius nulla vis queat. Postremò depopulatis animantibus, regiones quas obsederit, ad vastitatem cogit. Denique D. Claudio principe in loco vbi Vaticanus ager est, in aluo occisæ Boæ spectatus est solidus infans. Italia lupos habet, qui cum cæteris similes non sint, homo quem prius viderint, conticescit, & anticipatus obtutu nocentis, licèt clamandi votum habeat, non habet vocis ministerium. ii Sciens de Lupis multa prætereo. Spectatissimum illud est, quod caudæ animalis huius villus amatorius inest perexiguus, quem spontaneo damno abijcit, cum capi metuit: nec habet potentiam nisi viuenti

uenti detrahatur. Coeunt lupi toto anno non amplius dies x i i. Veſcuntur in fame terra. At ij quos Ceruarios dicimus, quamuis poſt longa ieiunia repertas ægrè carnes mandere cœperint, vbi quid caſu reſpiciunt, obliuiſcuntur, & immemores preſentis copiæ, eunt quæſitum quam reliquerunt ſatietatem. In hoc animalium genere numerantur & Lynces, quarum vrinas coire in duritiem pretioſi calculi fatentur qui naturas lapidum exquiſitius ſunt perſecuti. Iſtud etiam ipſas Lynces perſentiſcere hoc documento probatur, quòd egeſtum liquorem illico arenarum cumulis, quantum valent, cõtegunt, inuidia ſcilicet ne talis egeries tranſeat in noſtrum vſum, vt [kk] Theophraſtus perhibet: lapidi iſti ſuccini color eſt, pariter ſpiritu attrahit propinquátia, dolores renũ ſedat, medetur regio morbo, λυγκούριον Græcè dicitur. Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec vſquam alibi, quod ſilentium miraculo eſt, nec immeritò, cũ vicinæ quæ ſunt Locrenſium, vltra cæteras ſonitent. Cauſas Granius tradit, cum obmurmurarent illic Herculi quieſcẽti, deum iuſſiſſe ne ſtreperent. Itaq; ex eo cœptum ſilentium permanere. Ligusticum mare frutices procreat, qui quantiſper fuerint in aquarum profundis, fluxi ſunt, tactu prope carnulento. deinde vbi in ſupera tolluntur, *ll* natalibus derogatis, lapides fiunt. Nec ſolum qualitas illis, ſed & color vertitur. nam puniceo protinus rubeſcũt. Ramuli ſunt quales arborum viſimus, ad ſemipedem frequentius longi. rarum eſt pedaneos deprehendi, *mm* Excuduntur ex illis multa geſtamina. Habet enim, vt Zoroaſtres ait, materies hæc quádam poteſtatem, ac propterea quicquid inde fit, habetur inter ſaluta-

ria. Corallium alij dicunt. Nam Metrodorus γοργίαν nominat.Idem quòd reſiſtat typhonibus, & fulminibus,affirmat.Eruitur gemna in parte Lucaniæ ,facie adeo iucunda,vt languentes intrinſecus ſtellas,& ſub nubilorenidentes croceo colore perfundat.Ea quoniam in litore Syrtium inuenta primum eſt,Syrtites vocatur.Eſt & Veientana gemma à loco dicta,cui nigri coloris ſuperficies , quam ad gratiam varietatis albi limites interſecant,notis candentibus. oo Inſula quæ Appuliæ oram videt,tumulo ac delubro Diomedis inſignis eſt,& Diomedeas aues ſola nutrit.Nam hoc genus alitis præterquam ibi nuſquam gentium eſt,idq́ue ſolum poterat memorabile iudicari,niſi accederent non omittenda .Forma illis penè quæ Fulicis,color candidus, ignei oculi,ora dentata,congreges volitant,nec ſine ratione pergendi duces duæ ſunt,quæ regant agmen.Altera agmen anteit,altera inſequitur.illa vt ductu certum iter dirigat,hæc vt inſtantia vrgeat tarditatem.Hęc in meantibus diſciplina eſt,& cùm fœtuum adeſt tempus, roſtro ſcrobes excauant. Deinde ſurculis inverſum ſuperpoſitis, imitantur texta cratium,& ſic contegunt ſubtercauata:& ne operimenta deſint ſi fortè lignorum caſas venti auferant,hanc ſtruem comprimũt terra quam egeſſerant cum puteos excauarent.Sic nidos moliuntur bifori acceſſu,nec fortuitò,adeo vt ad plagas cæli metentur exitus,vel ingreſſus.Aditus,qui dimittit ad paſtus,in ortum deſtinatur:qui excipit reuertenteis,occaſum verſus eſt,vt lux & moranteis excitet, & receptu: non denegetur.Leuaturæ aluum aduerſis flatibus ſubuolant,quibus proluuies longiùs auferatur.

feratur. Iudicát inter aduenas: ſi Græcus eſt, propiùs accedunt, & quantum intelligi datur, velut ciui blandius adulantur. Si *pp* quis erit gentis alterius, inuolant, & impugnát. Ædem ſacram omni die celebrant ſtudio huiuſmodi. Aquis imbuunt plumas, aliſque impendiò madefactis cõfluunt rorulentæ, ita ædem excuſſo humore purificant. Tunc pennulis ſuperplaudunt. Inde diſcedunt quaſi peracta religione. Ob hoc ferũt Diomedis ſocios aues factos. Sanè ante aduentũ Ætoli ducis nomẽ Diomedis non habebant, inde ſic dictæ. Italicus excurſus per Liburnos, quæ gens Aſiatica eſt, procedit in Dalmatiæ pedem, Dalmatia in limitem Illyricum, in quo ſinu Dardani ſedes habent, homines ex Troiana proſapia in mores barbaros efferati. At ex altera parte per Ligurum oram in Narbonenſem prouinciam pergit, in qua Phocenſes quondam fugati Perſarum aduentu *qq* Maſſiliam vrbem olympiade quadrageſimaquinta condiderunt. C. Marius bello Cimbrico factis manu foſſis inuitauit mare, perniciosámque feruentis Rhodani nauigationem temperauit, qui amnis præcipitatus Alpibus primò per Heluetios ruit, occurſantium aquarum agmina ſecum trahens, auctúque magno, ipſo quod inuadit freto turbulentior, niſi cum fretum ventis excitatur. Rhodanus ſæuit & cum ſerenum eſt, atque ideo inter treis Europæ maximos fluuios & hunc computant. *rr* Aquæ quoque Sextiæ eo loco claruerunt, quõdá *ſſ* hyberna Conſulis, poſtea exculiæ mœnibus. Quarum calor olim acrior exhalatus per tempora euaporauit, nec iam par eſt famæ priori. Si græcos cogitemus, præſtat reſpicere littus Tarentinum. Vnde à promontorio, quod Acren Iapygian vocant, Achaiã

cursum destinantibus citissima nauigatio est. Flectendus hinc stylus est, terrarúmque vocant alia, & longum est, vt moratim insularum omnium oras legamus quascunque promontoria Italica prospectant: quamuis sparsæ recessibus amœnissimis, & quondam naturæ quasi spectaculo expositæ, non erant omittendæ. Sed quantū residendū est, si dilatis quæ præcipua sunt, per quandá desidiā, aut Pádatariá, aut Prochytā dicamus, aut ferri feracē *tt* Vilbá, aut Captariam, quam græci αἰγύλαν dicunt, aut Planasiam, de facie supina freti sic vocatam, vel ab Vlyssis erroribus, vel Columbariam auium huius nominis matrem, vel Ithacesiam, quæ Vlyssis proditur specula, vel Aenariam, & Inarimen ab Homero nominatam, aliásque non secus lætas, inter quas Corsicam plurimi in dicendo latiùs circumuecti plenissima narrandi absoluerunt diligentia, nihilque omissum, quod retrectari non sit superuacuum, vt *uu* exordium incolis Ligures dederint, vt oppida ibi extructa sint, vt colonias ibi deduxerint Marius & Sulla, vt ipsam Ligustici sinus æquor alluat. sed hæc facessant.

IN CAP. VIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

2 Virg. 2. Georg.

Sed neque Medorum syluæ, ditissima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italiæ certent, non Bactra, neque Indi,
Totáque thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hic grauidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implenere, tenent oleæque, armentáque læta.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas.

Addæ

Adde tot egregias Vrbes, operúmque laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subter labentia muros,
An mare quod supra memorem? quódque alluit infra,
Anne lacus tot? &c.

b Dionys. αὐρήγενες vocat.

c De Danaê vide Lactantium in 2. & 6. Thebaïd.

d V.C. Pelopidis.

e M.S. habet *Agillam*, vt & Maro, & Martianus.

f Lege Pausan. in Atticis, Diodor. lib. 5. Plin. lib. 16. cap. 45. Stat. 7. Thebaïd.

g Haud dubiè vera est M.S. scriptura, *Ver sacrum missus.* idque olim etiam à P. Pithœo I.C. post Adrian. Turnebum ex coniectura fuit obseruatum. *Fest. Pompeius*: Ver sacrum vouendi mos fuit Italis: magnis enim periculis adducti, vouebant quæcunque proximo vere nata essent apud se animalia immolaturos: sed cùm crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines suos exigebant.

h V.C. *Tiburtis*, legendum *Bruttiis.*

i Antiquus liber habet *Digidiorum.* Doctissimè autem celeberrimus D. Camertes legit *Diuorum*, motus à Seruio, qui inquit: Præneste erant Pontifices, & Dij indigetes, sicut etiam Romæ. Erant etiam illi duo fratres, qui Diui appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, resiliens scintilla eius vterum percussit, vnde dicitur concepisse, postea enixa, puerum iuxta templum Iouis abiecit, quem virgines aquatum euntes, iuxta ignem inuentum sustulerunt, quia à fonte haud longè erat, vnde Vulcani dictus est filius.

k Olim, vt Procopius lib. 1. de bello Gothorum, *Maleuentum*, ob ventum violentiorem, qui illac iter facientes circumegerat.

l A Iuuenale Satyra 4. *Dorica* dicitur, quòd Syracusani, à quibus condita, Dorenses habent autores. A forma & situ nomen habet: ἄγκων enim tum cubitus, tum eminens locus, tum flexus dicitur.

m Hercules perempto Gerione, per Italiam boues ductitans, à Crotone viro quodã nobili hospitio susceptus est: hunc Hercules per ignorantiam perimens, constructo sepulcro honorificè sepeliuit, locíque eius incolis futurum prædixit, vt eo loco insignis vrbs defuncti nomine conderetur.

n Plurima exemplaria habent *Leucosiam*, quædam *Leucatiam*, sed ex Strab. 2. Dionys. in Perieg. Capel. Silio & Ouidio scribendum *Leucasiam*.

o D. Turnebus vult hoc loco legi, *Frutis*, vt Venus Frutis dicta sit à fruendo, vnde & Veneris Frutę templum, Frutinal dictum, quam lectionem ait se ex membranis deprompsisse: deprehenderunt etiam eandem lectionem clarissimi viri D. Cornel. Valer. & D. Delrio.

p Indigetes dicti, quòd nullius rei egeant. Lucret. *Nil indiga curæ*. vel quòd in diis agant.

q Hanc Sibyllam Phemonoen Seruius vocat.

r Boëthi Stoici philosophi meminit Diogenes Laërt. lib. 7. in Zenone.

s Doctissimè corrigit D. Delrio, *Longiùs à se proiectis ac proeurrentibus*, &c.

t Lege *sparsim*.

u Lege *Crateide*. Homerus in Vlysse,

--βωτρεῖν δ' ἐὐ Κραταιίν

Μητέρα τῆς Σκύλλης.

Martianus in 6. Cætera Italię memoranda nec Poëtæ tacẽt, vt Scyllæum oppidum, cum Crateide flumine, quod Scyllæ mater fuit.

x Flor 1. Omnium non modò Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campanię plaga est, nihil mollius cęlo, denique bis floribus vernat, &c. In Campania iuxta Acherusiam paludẽ, campus est Phlegręus nomine,, in quo Herculem Gigantes superasse ferunt, illícque sepulti anhelant, terram quatiunt.

y Ex Plin. lib. 3. c. 10. & Martian. legendum x x. m.

z Vt in Reatino Italię vmbilicus, ita orbis totius in Delphis ponitur.

aa Lucan. 2.

Non minor hic Nilo, si non per plana iacentis
Ægypti Lybicas Nilus stagnaret arenas.
Nec minor est Istro, nisi quòd dum permeat orbem
Ister casuros in quælibet aquora fontes
Accipit, & Scythicas exit non solus in vndas.

bb Varro id non miraculo ascribit, sed ait Hirpinos ambulaturos per ignem medicamento quodam plantas tingere.

gere. Hirpi Sabinorum lingua Lupi vocantur.

cc Plin.lib.7.c.2.In Aphrica gens Psillorum fuit, à Psillo rege dicta, horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus.

dd Seruius,ab angendis serpentibus.

ee Plin.lib.3.cap.5.Amyclę à serpentibus deletæ.

ff V.C.*Cheȳdris*:atq; ita legi oportere ex Virg.3. Geor. patet. D. Camertes autem vulgatam lectionem seruat, & Cherſydros vocat,quod in terris, & aquis morentur. Nam χέρσον terram,& ὕδωρ aquam dicimus.

gg Albertus existimat Boam fuisse eum inusitatę immanitatis serpentem, aduersus quem primo Punico bello M. Attilius Regulus Consul in Africa, castris apud Bragadă flumen positis,prelium grande atque acre fecisse narratur, cuius interfecti longum corium pedes c x x. Romam misit. quòd vnà cum maxillis vsque ad bellum Numantium Romæ in templo durauit.

hh V.C.*fellebri*,à fello,id est sugo.

ii Vide Arist.lib.6.c.33.& lib.8.c.5.de animal.

kk Qui duos libros edidit de iis quę durantur in lapides.Diog.Laërt.lib.5.

ll Cl.D.Delrio legit *natur alibus aquis*.Ouid. 15.Metam.

Sic & coralium,quo primùm contigit auras
Tempore,durescit,mollis fuit herba sub vndis.

mm V.C.*exsculpuntur*.

nn V.C.*cui nigri color.facies propria*.

oo Strabo lib.6.duas esse dicit huius nominis insulas,ex quibus altera habitatur, altera, in qua Diomedes disparuit, & comites in aues conuersi,deserta est. Vide Augusst. lib.18. de ciuit.Dei,cap.16.

pp In Syria angues, circa Euphratis maximè ripas,dormientes Syros non attingunt,aut etiamsi calcati momordêre,non sentiunt maleficia,alios cuiusque gentis infesti,auidê, & cum cruciatu exanimantes,vnde Syri eos non necant.Cõtrà in Aletenio Cariæ monte hospites à scorpionibus non lędduntur,indigenę verò iterimuntur.Vide Plin.& Aristot.

qq Massilia,vt in commentariis Dionysij refert Eustat. ex euentu quodam sortita est nomen: cùm enim Phocensium gubernator illuc primùm appulisset, conspicato in littore τῦ ἁλιέως,id est,piscatore,mox nautas ligare ru-

dentes iussit. Æoles enim ligare μάσσειν dicunt: vnde Massiliam dictam refert Marcellin. circa finem lib. 15. A Phocide, inquit, Asiaticus populus Harpagi inclementiam vitans, Cyri Regis præfecti, Italiam nauigio petit, cuius pars in Lucania Veliam, & altera condidit in Viennensi Massilia. Vide etiam Herodot. in 1. Iustinum 43. Instituta Massilienſium refert Valerius. Vsi fuerunt ὀλιγαρχίᾳ, teſtis Ariſt. Politic. lib. 5. & 7.

rr C. Sextius Proconſ. victa Salyorum gente, Coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus. Vide Plin. lib. 3. c. 4. Plutarchum in C. Mario, Strab. 4. Velleium, & alios.

ſſ Vel C. Sextij, vel C. Marij, qui duobus præliis Teutones & Ambrones, circa Aquas Sextias deleuit, in quibus cæſa traduntur hoſtium c c ∞. capta x c ∞. Plutarchus ait, captos viuos, & trucidatos ex Barbaris vltra x. myriadas.

tt Plin. Mela & Ptol. *Iluam* dicunt.

uu Cùm Corſa quædam nomine, patria Ligur, iuxta littus oues paſceret, animaduertit bouem ex armento mare tranare, & paſtum redire, conſcensâ nauiculâ bouem ſequuta Inſulam reperit fertiliſſimam, in quam Ligures demiſſi.

CAP. IX

De Corſica, & Cotochite lapide,

Verum ager Corſicanus, quod in eo agro vnicum eſt, ſolus edit, quem Catochitem vocant lapidem, fatu digniſſimum. Maior eſt cæteris qui ad ornatum deſtinantur, nec tam gemma, quàm cautes. Idem impoſitas manus detinet, ita ſeiunctis corporibus adnectés, vt cum ipſis hæreat, à quibus tangitur. Sed ei ineſt velut de glutino lentiore neſcio quid par atque gummi. Accepimus [a] Democritum Abderitem oſtentatione ſcrupuli huius frequenter vſum, ad probandam occultam naturæ potentiam in certaminibus quæ contra Magos habuit.

a Plin. lib. 24. c. 17. putat Democritum & Pythagoram primos magicam in noſtro orbe celebraſſe.

CAP.

CAP X.

De Sardinia. De ſolifuga. De Sardonia herba. De admirandis aquarum viribus.

SArdinia quoque quam [a] apud Timæum Sandaliaten legimus, Ichnuſam apud Chryſippum, in quo mari ſita ſit, quos incolarum authores habeat ſatis celebre eſt. Nihil ergo attinet dicere, vt Sardus ab Hercule, & Norax à Mercurio procreati, cùm alter ab Libya, alter ab vſque Tarteſo Hiſpaniæ in hoſce fines permeaſſent, à Sardo terræ, à Norace Noro oppido nomen datum. Mox Ariſtæum regnando his proximum in vrbe Corali, quam condiderat, ipſe coniuncto populo vtriuſque ſanguinis ſeiuges vſque ad ſe gentes ad vnum morem coniugaſſe, imperium ex inſolentia nihil aſpernatas. Sed & hic Ariſtæus Iolaum creat, qui ad id locorum agros ibi inſedit. Præterea & Ilienſes, & Locrenſes tranſeamus. [b] Sardinia eſt quidem abſque ſerpentibus. Sed quod alijs locis ſerpés eſt, hoc Solifuga Sardois agris. Animal perexiguum, ſimiléque Araneis forma. [c] Solifuga dicta quòd diem fugiat. In metallis argentarijs plurima eſt. nam ſolum illud argenti diues eſt, occultim reptat, & per imprudentiam ſuperſedentibus peſtem facit. Huic incommodo accedit & herba [d] Sardonia, quæ in defluuijs fontanis prouenit largius iuſto. Ea ſi edulio fuerit, veſcentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, vt qui mortem oppetunt velut ridentium facie intereant. Contrà quicquid aquarum eſt, variè commodis ſeruit. Stagna piſculentiſſima, hybernæ pluuiæ in æſtiuam penuriam reſeruantur. Nam homo Sardus o-

pem plurimam de imbrido cœlo habet. Hoc collectaneum depascitur, vt sufficiat vsui, vbi defecerint scaturignes, quæ ad victum vsurpari solent. Fontes sanè calidi & salubres aliquot locis efferuescunt, qui medelas afferunt, aut solidát ossa fracta, aut abolét à Solifugis insertum venenum, aut etiam ocularias dissipant ægritudines. Sed qui oculis medentur, & coarguendis valét furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat lumina aquis attrectat. Vbi periurium non est, cernit clariùs. Si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum tenebris fatetur.

IN CAP. X. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Sil. lib. 12.

Insula fluctisono circumuallata profundo
Castigatur aquis, compressáque gurgite terras
Enormes cohibet, vndæ sub imagine plantæ
Inde Ichnusa priùs Graijs memorata colonis,
Humanæ speciem plantæ si magna figurat
Insula, Sardiniam veteres dixêre coloni,
Diues ager frugum, &c.

b Sil. lib. 12.

Serpentum tellus pura ac viduata venenis,
Sed tristis cælo, & multâ vitiata palude.

Mel in Sardinia virus, propter Absinthi pabulum. Dioscor. li. 2.

c Quidam *Salpigam* legunt, Lucan. lib. 9.

Quis calcare tuas timeat Salpiga tenebras,
Et tibi dant Stygiæ in suaſila sorores.

d Pausan. in Phocaic. herbam hãc apio similem ait, Latini Ranunculum & Strumeam vocant.

e Rhemnius in Dionys.

Sardiniæ postquam pelago circunflua tellus
Fontibus è liquidis præbet miracula mundo,

Quòd

Quòd ſanant ægros, pandunt, damnántque nefando
Periuros furto, quos tacto flumine cæcant.

Stephanus in Sicilia fontem ponit, qui peierantium tabulas mergat. Apud Philoſtratum lib. 2. Apollonius ait iuxta Tyanam aquam eſſe Ioui ſacratam, quę à peierantibus pota, oculos, manus, pedéſque inuadit, imò totum corpus miſerè excarnificat. Nec diſſimilia refert Diodor. in 3. de quodam fonte Ætiopiæ.

CAP. XI.

De Sicilia, & Peloriade terra, & de aquis memorandis, & montibus.

SI reſpiciamus ad ordinem temporum, vel locorum, poſt Sardiniam res vocant Siculæ. Primo, quòd vtraque inſula in Romanam poteſtaté redacta, iiſdem temporibus prouincia facta eſt, cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætor ſortiti ſunt. Adde quod freto Siculo excipitur nomen Sardoi maris. Ergo Sicilia, quod cum primis aſſignandum eſt, diffuſis promontorijs triquetra ſpecie figuratur. Pachynus aſpectus in [a] Peloponeſum & meridianam plagam dirigit. Pelorus aduerſam veſpero Italiá videt. [b] Lilybæus in Africam extenditur. Inter quæ Pelorias præſtat, ſoli temperamento egregia, quòd neque humido in lutum diluatur, neque fathiſcat in vagum puluerem ſiccitate. Ea vbi introrſum recedit, & in latitudinem pándítur, tres lacus obtinet. Quorum vnus quod piſcium copioſus eſt, non equidem ad miraculum duxerim, ſed quod ei proximus condenſis arbuſtis inter virgultorum opaca feras nutriat, & admiſſis venantibus per terrenos tramites, quibus pedeſtres ac-

ceſſus excipit,[c] duplicem, piſcandi, venandique præbeat voluptatem, numeratur inter eximia. Tertium ara ſacrũ approbat, quę in medio ſita, breuia diuidit à profundis. quà ad eam pergitur, aqua crurũ tenus peruenit. Quod vltra eſt, nec explorari licet, nec attingi. Et ſi ſiat, qui id auſus ſit, malo plectitur, quãtámque ſui partem ingurgitauerit, tantam it perditum. Ferunt, quendam in hæc alta quàm longiſſimam poterat iecisſe lineam, eam vt recuperaret, dum demerſo brachio niſum adiuuat, cadauer manum factam. Peloritana ora habitatur colonia [d] Taurominia, quam priſci Naxum vocabant. Oppidum Meſſana Rhegio Italiæ oppoſitum eſt, quod Rhegium à dehiſcendi argumento ῥήγιον græci dictitabant. Pachyno multa thynnorum ineſt copia, Echinis, & omnibus mari nantibus piſculentiſſimũ, ac propterea ſemper captura larga. Lilybitano Lilybæo oppido decus eſt Sibyllæ ſepulchrum. Sicaniæ diu ante Troiana bella Sicanus rex nomen dedit, aduectus cum ampliſſima Iberorum manu. Pòſt Siculus Neptuni filius. In hanc plurimi Corinthiorum, Argiuorum, Ilienſium, Dorienſium, Cretenſium, confluxerunt. Inter quos & Dædalus fabrę artis magiſter principem vrbium Syracuſas habet. In qua etiam cum hyberno conduntur ſerena, nullo non die ſol eſt. Adde quòd Arhetuſa fons in hac vrbe eſt. Eminet montibus Ætna, & Eryx. Vulcano Ætna ſacer eſt, Eryx Veneri. In [e] Ætnę vertice hiatus duo ſunt, crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor, præmiſſo prius fremitu, qui per æſtuantes cauernarum latebras longo mugitu intra terrę viſcera diu voluitur, nec ante flammarum globos

bos attollit,quàm interni ſtrepitus antecedát.Mirũ hoc eſt,nec illud minus,quod in illa feruentis naturæ peruicacia miſtas ignibus niues profert,& licèt vaſtis exudet incendijs,apicis canicie perpetua brumalem detinet faciem.Itaque inuicta in vtroq; violentia, nec calor frigore mitigatur,nec frigus calore diſſoluitur.Sunt & alij montes duo,Nebrodes, & Neptunius.E Neptũnio ſpecula eſt in pelagus Tuſcũ,& Adriaticũ.Nebrodi damarũ copia nomẽ dedit,que damæ & hinnuli gregatim peruagantur. Inde Nebrodes dictus.Quicquid Sicilia gignit, ſiue ſoli,ſiue hominis ingenio,proximũ eſt ijs quæ optima iudicantur,niſi quod fœtus terræ Centuripino croco vincitur. Hic[f] primùm inuenta Comœdia, hîc & cauillatio mimica in ſcena ſtetit.Hîc domus Archimedis,qui iuxta ſyderum diſciplinam machinarius [g] commentator fuit.[h] Hîc Lais illa,quæ eligere patriam maluit,quàm fateri.Genten Cyclopum vaſti teſtantur ſpecus.Leſtrygonum ſedes adhuc ſic vocantur.Ceres inde magiſtra ſationis[i] frumentariæ.i Hîc ibidẽ campus [k] Ætnenſis in floribus ſemper,& omni vernus die Quẽ propter demerſum eſt foramen,quo Diten patrem ad[l] raptus Proſerpinæ liberę exeuntem fama eſt luce hac vſum. Inter [m] Catinam & Syracuſas certamẽ eſt de illuſtriũ fratrum memoria,quorum nomina ſibi diuerſæ partes adoptant.Si Catinenſes audiamus,Anapias fuit,& Amphinomus.ſi quod malunt Syracuſę,[n] Emanthiá putabimus,& Critonem.Catinẽſis tamen regio cauſam dedit facto,in quá ſecum incendia Ætnæ protuliſſent,iuuenes duo ſublatos parentes euexerunt interflammas illæſi ignibus.Horũ memoriam ita po-

steritas munerata est, vt sepulchri locus nominaretur cāpus Piorū. De Arethusa,& Alpheo verū est hactenus quod conueniunt fons & amnis. Fluminum abundè varia miracula. Dianam, qui ad o Camerinā fluit, nisi habitus pudicæ hauserit, nō coibunt in corpus vnum latex vineus, & latex aquæ. Apud P Segestanos Herbesus in medio flum. subita exæstuatione feruescit. Acin q quáuis demissū Ætna, nullus frigore anteuertit. r Himereū cœlestes mutát plagę. Amarus deniq; est, dum in aquilonem fluit, dulcis vbi ad meridiē flectitur. Quáta in aquis, tāta est nouitas in salinis. Salem Agrigentinum si igni iunxeris, soluitur vstione, cui si liquor aquæ proximauerit, crepitat veluti torreatur. Purpureum Ætna mittit, in Pachyno translucidus inuenitur. Cætera salinarū metalla, quæ sunt aut Agrigentino, aut Centuripis proximantia, funguntur cautium ministerio. Nam illinc excidunt signa ad facies hominum, vel deorum. Thermitanis locis insula est arundinum ferax, quæ accommodatissimæ sunt in omnem sonum tibiarū, siue præcentorias facias, quarum locus est ad puluinaria s præcinendi, siue t Vascas, quæ foraminū numeris præcétorias antecedūt, siue puellatorias, quibus à sono clariore vocamen datur, siue u Gingrinas, quę breuiores licet, subtiliorib. tamé modis insonat, aut Miluinas, quæ in accétus exeūt acutissimos, aut Lydias, quas & Turarias dicunt, vel Corinthias, vel Ægyptias, aliásve à musicis per diuersas officiorum & nominum species separatas. In Halesina regione fons aliâs quietus & tráquillus x cum sileatur, si insonent tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & quasi miretur dulcedinem vocis, vltra mar-

gines

gines intumescit. Geloniũ stagnum tetro odore abigit proximantes: Ibi & fontes duo. Alterũ si sterilis sumpserit, fœcunda fiet: alterum, si fœcũda hauserit, vertitur in sterilitatem. Stagnum Petrésium serpentibus noxium est, homini salutare. In lacu y Agrigentino oleum supernatat. Hoc pingue hęret arundinũ comis de assiduo volutabro, equarum capillamẽtis legitur vnguentũ medicum cõtra armẽtarios morbos. Nec lõgè inde collis Vulcanius, in quo qui diuinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hác cõgeriem, cùm porricias [z] intulerint. Si adest [a a] deus, sic sacrũ probatur, sarmẽta licet viridia ignem sponte concipiũt, & nullo inflagrante, à litato numine [bb] fit incendium. Ibi epulãtibus alludit flãma, quæ flexuosis excessibus vagabũda, quem contigerit non adurit. Nec aliud est, quàm imago nuncia perfecti ritè voti. Idem ager Agrigẽtinus eructat limosas scaturigines, & vt venæ fontiũ sufficiũt riuis subministrãdis, ita in hac Sicilię parte solo nunq̃ deficiẽte, æterna reiectatione terrã terra euomit. Achatẽ lapidẽ Sicilia primùm dedit in Achatis fluminis ripis repertum, non vilem, cum ibi tãtũ inueniretur. Quippe inter scribẽtes eũ venę naturalibus sic notãt formis, vt cum optimus est, varias præferat rerũ imagines. Vnde annulus Pyrrhi regis, qui aduersus Romanos bella gessit, non ignobilis famæ fuit. Cuius gemma Achates erat, in quo nouem Musæ cum insignibus suis singulæ, & Apollo tenẽs citharã videbantur, [cc] non impressis figuris, sed ingenitis, nunc diuersis locis apparet. Dat Creta, quem Coraliachatem vocant, corallo similẽ, sed illitũ guttis auro micãtibus, & scorpionũ ictibus resistentem.

Dat India reddétem núc nemorũ, núc animalium facies, quem vidisse, oculis fauet, quiq; intra os receptus sedat sitim. Sũt & qui vsti redolét myrrhæ odorem. Achates sanguineis maculis irrubescit. Sed qui maxime probantur, vitream habét perspicuitate m, vt Cyprius. Nam qui sunt facie cerea abundantes, triuialiter negliguntur. Omnis [dd] ambitus huius insulæ clauditur stadiorum tribus millibus.

IN CAP. XI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a *Peloponnensem.*

b Vetus liber. vt & Pomponius lib. 2. & Antoninus, *Lilybeum* habet. Orpheo quoque Λιλύβηον dicitur.

c V.C. habet, *Publicam piscandi venandíque præbeat voluptatem. Numeratur inter eximia tertius.* Publicam dicit, quòds cuilibet piscari & venari liberum sit. Trium lacuum superiùs meminit: hîc tertium inter eximia nnmerari ait.

d *Tauromenia*, ex membranis legendum. Ptol. de hac lib. 3. Ταυρωμενίων κολώνια. Iuxta hanc vrbem nobiles nulli pisces reperiebantur. Iuuenalis gulam taxans.

Mullus erit domino quem misit Corsica, vel quem
Tauromenetanæ rupes, quoniam omne peractum est,
Et iam defecit nostrum mare dum gula sæuit.

e Lucretius lib. 6. de Ætna loquens:

In summo sunt vertice item crateres, vt ipsi
Nominitant, nos quas fauces perhibemus & ora.

Cur autem hîc, & alij quidam montes ardeant, exponit Philostratus lib. 5. de Apollonio.

f Auctore, vt nonnulli putant, Epicharmo.

g V.C. *commentor.* De magni huius viri morte vide apud Valerium, lib. 8. c. 7.

h De Laïdis patria discrepant veteres, vulgò appellarũt Corinthiam, quia Corinthum sibi patriam eligeret: quidam τὴν Ἱμεραίαν, quæ oriunda sit Himera, in Sicilia. Alij quidem

quidem Siculam faciunt, sed Hyccaris, aut Crasti, oppidis Siciliæ natam produnt Fuerunt qui Pancarpiam Phrygiæ vrbem patriam posuerint. Sed quæcunque tandem patria fuerit, nihil ex alumna sua recepit gloriæ. Quid ergo nobis cum illa, *Ante cuius acuit Græcia tota fores?* Propert.

i V.C. *fructuariæ.*

k Melius legitur *campus Ennensis*, quia Proserpina iuxta Ennam rapta fuit. Claudian. *Enna parens florum*, &c. Et rectè clarissimus D. Casaub. in 6. Strab. pro Ἴυνησίαν, Ἐυνησίαν legit.

l Habent pleraque exemplaria, *Ditem patrem ad raptus Proserpinæ liberè exeuntem fama est in lucem ausum*, sine sensu. In veteri cod. vox *Proserpinæ* abest: & rectè. Sic nim 6. Liuius quoque lib. 3. *Familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venũ iret.* Sic etiam Cicero, Arnobius, & plura marmora, quæ brevitatis, cui nos addiximus, igitur omittimus.

m Ex Strabonis lib. 6. & reliquis Geographis reponendum *Catanam*. Notum autem est quantoperè veteres autores in horum nominibus varient. Vide Pausaniam in Phocicis, Val. lib. 5. c. 4. Ælianum, & Claudianum.

n V.C. *Emantium: item Crotonem.*

o Leg. *si manus impudicæ hauserint*, quod confirmo ex Rhemnio,

Dianæ fons est, Camerinâ gignitur vnda,
Quem si quis manibus non castis hauserit, vnquam
Lætifico tristis non miscet pocula Baccho.

p Legatur, *Apud Aegestanos*, ab Ægesto Troiano, cuius meminit Strabo in princip. 6. qui cũ Philoctete illuc appulerat, Segesta vrbs ab ipso muris cincta. Pro *Herbesus* D. Delrio reponit *Erbessus.*

q MS. *Ac eundem*, vt etiamnũ istud de Erbesso dicatur.

r Lego *Himeram*. Vide Strab.

s Adhibebantur musici conuiuiis Deorum, quæ Solinus per puluinaria intelligit. Val. lib. 2. c. 1. Iouis epulo ipse in lectulum, Iuno & Minerua in sellas ad cœnam inuitantur.

t Sipontinus legit *vastas*, á magnitudine.

u Gingrire anseribus proprium, vnde genus quoddam tibiarum.

x Rhemnius,

Hîc & Halesinus fons est mitissimus undis,
Tibia quem extollit, cantu saltare putatur
Musicus, & ripis lætans excurrere plenis.

Non dissimilia sunt quę scribit Aristoteles cap. 51. & 52. de admirandis in Natura.

y Similia apud Vitruu. lib. 8. c. 3 In Cilicia flumen est, nomine Laparis, in quo natantes, aut lauantes ab ipsa aqua vnguntur: sic Æthiopiæ lacus est, qui homines vnctos efficit: itẽ Carthagine fons est, in quo supernatat oleum, quo etiam pecora solent inungi.

z Hîc paucis lineis plures irrepserunt mendę. V.C. *prosicias*, id est pro secta, vt ait Festus. Sic Latini *Insicia* dixerunt. Varro, Insicia, ab eo quòd insecta caro, vt in carmine Saliorum. Item *Prosiciem* Varro, Rerum diuin. 1. Prosiciem extorum, vel in mensam porricere.

aa V.C. *Si adest Deus sacrorum probator.*

bb V.C. *Nullo inflagrante halitu ab ipso Numine fit accendium.* Obseruauit hęc omnia etiam Clariss. D. Delrio.

cc Apud excellentissimum & humanissimum virum D. Michaelem Riberium, legati Regij Archiatrum, vidi Solodurilapidem, qui ingenitis itidem coloribus Dianam venantem graphicè effigiabat.

dd Diodorus Siculus lib. 6. facit Insulę huius ambitum ∞ ∞ ∞ ∞ CCCLX stadiorum Sunt stadia alia & alia magnitudine discrepantia. Italicumest pedum DCXXV. Olympicum D C. Pythicum. ∞.

CAP. XII.

De Insulis Vulcanijs.

IN freto Siculo Ἡφαίστιαι insulæ XXV. millibus passuum ab Italia absunt. Itali Vulcanias vocant. Nam & ipsæ natura soli ignea per occulta commercia aut mutuãtur Ætnę incẽdia, aut subministrant. Hîc dicta sedes Deo igniũ. Numero septẽ sunt. Liparæ nomẽ dedit rex a Liparus, qui eam ante Æolũ rexit,

rexit, Alterā Hieram[b] vocauerūt: ea precipuè Vulcano sacrata est, & plurimum colle eminentissimo nocte ardet. Strōgyle tertia, Æoli domus, vergit ad solis exortum, minimè angulosa, quæ flāmis liquidioribus differt à cæteris. Hæc causa efficit, q; ex eius fumo potissimū incolę pręsentiscūt quinā flatus in triduo portēdātur. Quo factū, vt Æolus rex ventorū crederetur. Cæteras, Didymē, Ericusan, Phœnicusā, Euonymon, quoniam similes sunt, dictas habemus.

a Liparus Ausonis filius à fratribus dissidens, militum copia collecta, in insulam hanc olim desertam appulit. Eustat. & Diod in 6

b id est, sacram. c à rapę forma.

CAP. XIII.

Ex tertio Europæ sinu, Epeirus, Aetolia, Peloponnesus, Attica, Bœotia, Phocis. Multæ insulæ, & in his memoranda omnia.

TErtius Europæ sinus incipit ab Acroceraunijs montibus, desinit in Hellespōtum. In eo apud [a]Molossos, vbi Dodonæi Iouis tēplū est, [b]Tomarus mōs est, circa radices [c]cēteno fōnte nobilis Theopō po. In Epeiro sacer[d] fōs est, frigidus vltra ōnes aquas, & spectatæ diuersitatis. Nā si in eū ardentē immergas facē, extinguit, si procul, ac sine igni admoueas, suopte ingenio inflāmat. [e] Dodone Ismaro celsa est. Delphi Cephiso flumine, Castalio fonte, & Parnasi iugis celebres. Acarnania Aracynto eminet. Hanc ab Ætolia Pindus diuidit, qui Acheloum parit, cum primis Græciæ amnibus præditum veteri claritate. Nec iniuria, cū inter calculos, quibus ripæ eius mi-

cant,inueniatur Galactites,qui ſcrupulus ipſe ater ſi teratur,reddit ſuccum album ad lactis ſaporem.Fœminis nutrieneibus illigatus fæcundat vbera,ſubnexus paruulis largiuſculos hauſtus facit ſaliuarum.Intra os receptus liqueſcit.cum ſoluitur tamen,memoriæ bonum perimit,quę poſt Nilum Achelous dat, tertium nemo.Propter oppidum Patras ſ Sciœſſa locus nouem colliū opacitate vmbroſus,& radijs Solis fermè inuiſus,nec aliam ob cauſa memorabilis. In Laconia ſpiraculum eſt Tęnaron.Et Tęnaron eſt promontorium aduerſum Africæ,in quo fanum eſt Methymnæi Arionis,squem delphine eò aduectum imago teſtis eſt ærea ad effigiem caſus & veri operis expreſſ..Prærerea tępus ſignatum.olympiade enim vndetrigeſima,qua in certamine Siculo idem Arion victor ſcribitur,id ipſum geſtum probatur.Eſt & oppidū Tænaron nobili vetuſtate Præterea aliquot vrbes,inter h quas Leuctra, non obſcura iam pridem Lacedæmoniorum fœdo exitu.Amicl æ ſilentio ſuo quondam peſſundatæ.Sparta inſignis cum Pollucis & Caſtoris templo,tum ietiam Otryadis illuſtris viri titulis Therapnæ,vnde primum cultus Dianæ.Pitane,quá Archeſilaus philoſophus inde ortus prudętiæ ſuæ merito in lucem extulit.Anthea ,& Cardamyle,vbi quondam fuére Tyre nunc Locus dicitur, in quo anno x v i i.Regni Romuli inter Laconas & Argiuos memorabile fuit bellum.Nam Taygeta mons,& flumen Eurotas notiora ſunt ,quàm vt ſtylo egeant. Inachus Achaiæ amnis Argolicum ſęcat tractum,quem rex Inachus à ſe nominauit,qui exordium Agiuæ nobilitati primus dedit.Epidauro dęcus eſt Æſculapij ſacellum cui incubantes ægritudinum,

num remedia capessunt de monitis somniorũ Pallá teum Arcadiæ oppidũ,quod palatio nostro per Euá drũ Arcada appellationem dederit,sat est admonere,in qua montes Cyllene,& Lycæus,Menalus etiá Dijs alumnis inclaruerunt: inter quos nec Erymanthus in obscuro est.Inter flumina Erymanthus Erymantho monte demissus est,& Ladon ille.Herculis pugnæ hic planè clarescunt.[k] Varro perhibet fonté in Arcadia esse,cuius interimat haustus.In hac terrarum parte de auibus hoc solùm esse non indignum relatu comperimus,quod cùm alijs locis Merula fulua sit,circa Cyllenem candidissima est.Nec lapidé spreuerimus,qué Arcadia mittit,Asbesto nomé est, ferri colore.Hic accẽsus semel extingui nõ potest,in Megarensiũ sinũ Isthmos exit,ludis quinquẽnalibus & delubro Neptuni inclytus.Quos ludos eapropter institutos ferũt, q; sinib⁹ quinq; Pelopõnesi orę abluuntur.A septentrione Ionio ,ob occidẽte Siculo,à brumali occidẽte Ægęo, à solstitiali oriẽte Myrto, à meridie Cretico.Hoc spectaculũ per [m]Cypselũ tyránum intermissũ,Corinthij olymp. quadragesima nona solẽnitati pristinç reddiderũt.Cęterũ Pelopõneson à Pelope regnatã,nomẽ indicio est.Ea vt platani foliũ recessibus & prominentijs figurata,diuortiũ facit inter Ionium & Ægæum mare,quatuor nõ amplius millibus dispescẽs vtrũq; littus, excursu tenui,qué Isthmon dicũt ob angustias.Hinc Hellas incipit,quam proprie veram volũt esse Græciam:Quæ nunc Attica,Acte prius dicta.Ibi Atheneæ,cui vrbi sa xa Scyronia propinqua sunt porrecta,sex millibus passuum ob honorem vltoris Thesei,& memoriam nobilis pœnę sic nominata.Ex istis rupibus Ino se cũ

Palæmone

Pælamone filio in profunda [n] præcipitem iaculata auxit maris numina. Nec Atticos montes in parte tacebimus. Est Icarius, & Brilessus, est Lycabethus, & Ægialus. Sed [o] Hymetto meritò ac iure attribuitur principatus, q; apprimè florulétus eximio mellis sapore, & externos omnes, & suos vincit. Callirhoé stupent fontem, nec ideo [p] Cruneson fontem alterũ nulli rei numerãt. Athenié sibus iudicijs locus est Areopagus, Marathõ campus factus memorabili sopi nione prælij cruentissimi. Et multæ quidé insulę obiacent Atticæ continenti, sed suburbanæ fermè sunt. Salamis, Sunium, Cos, Ceos, quę vt Var. testis est, subtilioris vestis amicula arte lanificæ scientiæ prima in ornatũ fœminarum dedit. Bœotia Thebis enitet. Thebas condidit Amphion, non quòd lyra saxa duxerit, neq; enim par est id ita gestum videri, sed quòd affatus suauitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudeis, ad obsequij ciuilis pellexerit disciplinam. Vrbs ista numinibus apud se ortis gloriatur, vt perhibent qui sacris carminibus Herculem & Liberum celebrant: Apud Thebas Helicon lucus est, Citheron saltus, Amnis [r] Ismenius, fontes Arethusa, Oedipodia, Psammate, Dirce. sed ante alios Aganippe, & Hippocrene. Quos Cadmus literarum repertor primus, quoniá equestri exploratione primus deprehendisset, dum rimatur quænam adisset loca, incensa est licentia Poëtarum, vt pariter vtrumq; dissemi naretur [s scilicet quod eorũ alter alitis equi vngula solicitatus foret, alter potus facundia animas irrigaret] & quòd aperta foret alitis equi vngula, & quòd poti inspirationem facerent literariam. Euboea insula laterum obiectu efficit Aulidis portum,

seculis

seculis traditũ Græcæ coniurationis memoria. Bœoti ijdem sunt, qui Leleges fuerunt, per quos defluēs Cephisus amnis se in maria cõdit. In hac cõtinẽtia Opũtius sinus, t Larissa oppidũ, Delphiráne quoq;, in qua Amphiarai fanũ, & Phidiacæ signum Dianæ. Varro opinatur duo in Bœotia esse flumina, natura licet separari, miraculo tamen non discrepante. u Quorũ alterum si ouillum pecus debibat, nullũ fieri coloris, quẽ induerit. Alterius haustu, quæ neque vellerum fusca sunt, in candidũ verti. Ait etiam videri ibi puteũ pestilentem, cuius liquor mors est haurientibus. Perdices sanè cum vbiq; liberæ sint, vt aues vniuersæ, in Bœotia non sunt: nec cum volant, sui sunt iuris, sed in ipso aëre quas transire non audeant, metas habent. Inde vltra notatos iam terminos nunquam exeunt, nec in Atticum solum transmeant. Hoc Bœotijs proprium. Nam quæ communia sũt omnibus, generatim post persequemur. Concinnantur à Perdicib. nidi munitione solerti. Spineis. n. fruticibus ac surculis receptus suos vestiunt, vt animalia quæ infestant, arceantur à spinis surculorum. Ouis stragulũ puluis est, atq; clanculo reuertuntur, ne indiciũ loci conuersatio frequens faciat. Plerunq; fœminę transuehunt partus, vt mares fallant, qui eos impatientiùs affligunt sæpissimè adulantes. Dimicatur circa connubium, victosq; credunt fœminarũ vice venerẽ sustinere. Ipsas libido sic agitat, vt si ventus à masculis flauerit, fiant prægnantes odore. Tunc siquis hominũ vbi incubãt propinquabit, egressę matres venientibus sese spõte offerunt, & simulata debilitate vel pedum, vel alarũ, quasi statim capi possint, gressus fingunt tardiores. Hoc mẽdacio solicitãt obuios

&

& eludunt, quoad prouecti longius à nidis auocentur. Nec in pullis ſtudium ſegnius ad cauendũ. Cũ enim viſos ſe perſentiſcunt, reſupinati glebulas pedibus attollunt, quarum obtectu tam callide protegũtur, vt lateant etiam deprehenſi.

IN CAP. XIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Pyrrhus Achillis filius, ex Andromache Hectoris quõdam coniuge, Moloſſum filium ſuſcepit, à quo Moloſſia nomen habet. Eam regionem Helenus à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam interemerat, Chaoniam nominauit. Seru. 3. Æneid.

b Strabo lib. 7. quo loco plura huc pertinentia vide. *Tomærum & Tmærum* appellari annotat.

c aliâs, *centum fontibus.*

d Vid. Lucret. lib 6. Frigidus etiam fons, &c.

e Legunt nonnulli, *Dodone*, vt Maro dicit. *Ioui ſacra eſt.* Verſus Maronianus in Epigrammate, *Dodone tibi Iupiter, ſacrata eſt.*

f V.C. Scioëſſa

g Eutropius hoc accidiſſe ait cùm Tarquinius Priſcus Romæ regnum teneret.

h Strab. lib. 9. Leuctra ſunt vbi Epaminondas ſuperatis magna pugna Lacedæmoniis, eorum potentiæ eneruandæ exordium reperit, nunquam.n. ab eo tempore Spartani recuperare princ patum potuêre, quem in Græcos habuerant, maximè cum in altero etiam ad Mantineam conflictu malè eſſent acceptine tamen aliis ſubeſſent, quanquam rebus ita afflictis, obtinuêre vſque dum Romanorum dominationi fuere ſubiecti, à quib. ipſis tamen in honore ſunt perpetuò ob Reipub. formæ præſtantiam. Adſcripſi hæc quia non vulgaris vſus ſunt. vid. Iuſtin. 6. Val. 3. c. 2.

i Herodot. lib. 1. Val. lib. 3. c. 2. Hic cùm Amphictyonum iuſſu cum Argiuis pro Tyreate agro certamen ingreſſus vinceretur, dum duo ex Argiuis Angenor & Cromius, genti ſuæ victoriam nuntiarent, congeſtis ſcutis trophæum erigit, &

vulnerum ſanguine inſcripſit, LACEDAEMONII DE ARGIVIS. vid.Stat lib.4. Thebaïd.

k vid.ſenec.3.Natural.Vitruu.lib.8.c.3.

l d *furuæ.*

m meminit Euſeb lib 5.cap 14.de præpar.

n V.C.præceps.

o vid Plin.lib.11.c.13.

p lego *Enneacrunon*, ſuaſoribus Pauſania in Atticis, Vitruu.lib.8.Plin.lib.4.ſtat.12.Thebaid.

q dictus quod Ἄρις, id eſt Mars primus cauſam cædis dixerit.Pauſan. in Atticis.

r ex V.C.item Plin.Senec.ac Statio lego *Iſmenus.*

ſ rectè hæc in V.C abſunt.

t Repono, *Lariſſa oppidum Delphi, Rhamnus quoque, &c.* Strab. li.9. Marathon certamen Perſicum, Rhamnâs Nemeſis ſimulacrum, quod alij Diodoti, alij Agoracriti Parij opus affirmant, & mole, & elegantia præſtantiſſimum, neq; Phidiæ operibus cedens.vid.etiam Pauſan. in Atticis.

v D. Delrio ex V.C. legit, *pulli fieri coloris quod induerit.* hoc eſt, vellus quo pecus amicitur. Præter Ariſtot. & Senec. probat hoc Rhemnius Fannius.

Bæorum ſequitur finis, qua dicitur vnda
Eſſe poteſtatis diuerſæ: namque duobus
Fluminibus vertit veruecum lana colorem:
Hoc fuſcat niueas, hoc albat gurgite nigras.

CAP. XIV.

De Theſſalia, & Magneſia, & altiſſimis montibus, & Philippo Macedonum Rege, cui alter oculus ad Methonem erutus eſt.

THeſſalia eadem eſt & Hæmonia, quam Homerus πελασγικὸν ἄργος nominat: Vbi genitus Hellen à quo Reges Hellenes nominati: huius à tergo Pieria ad Macedoniam protenditur, quæ deuicta ſub Macedonum venit iugum. Multa ibi oppida, flumina

flumina multa. De oppidis egregia sunt Phthia, Larissa, Thessalia, & Thebæ. De amnibus Peneus, qui propter Ossam Olympúmque decurrens collibus dextra læuáque molliter curuis, nemorosis conuallibus Thessalica facit tempe, vndisq; apertior Macedoniam ac Magnesiam interluens, in Thermæũ sinum conditur. Thessaliæ sunt Pharsalici campi, in quibus ciuilium bellorũ detonuerũt procellę. Ac ne in monteis notos eamus, Pindum & Othryn agitét, qui Lapitharum originẽ prosequuntur. Ossam, quos Centaurorum [a] fabulis immorari iuuat. Pelion auté nuptiale conuiuium [b] Thetidis atq; Pelei in tãtũ notitiæ obtulit, vt taceri de eo magis mirum sit. Nam Olympum ab Homero non per audaciá celebratũ docent, qui in eo visitantur. Primũ excellenti vertice tãtus attollitur, vt summa eius cœlum accolæ vocent. Ara est cacumine Ioui dicata, cuius altaribus siqua de extis inferuntur, nec difflãtur ventosis spiritibus, nec pluuijs diluuntur, sed voluẽte altero anno cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi reperiuntur. Et omnibus tempestatibus à corruptelis aurarũ vindicatur quicquid ibi semel est Deo consecratũ. Literæ in cinere scriptæ vsq; ad alteram anni ceremoniam permanẽt. In regione [c] Magnesia Methone [d] oppidum situm est, quod cum obsideret Philippus Alexándri Macedonis magni pater, dánatus est oculo ictu sagittæ, quá iecerat Aster oppidanus inscriptam suo nomine, loco q; vulneris, quem petebat. Populum istum callere artem sagittariam credere possumus, vel de [e] Philoctete, quoniá Melibœa in hoc pede cõputatur. Sed ne trãseamus præsidium poëtarũ, fons Libethrus & ipse Magnesiæ est.

In

IN CAP. XIV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a M.S. *Centaurorum ſtabulis.* Virgil lib.6. *Centauri in foribus ſtabulant.* Papin.Sat.in Achilleide.Centauri ſtabula alta patent.

b Vid Catull. in Epithalamio Pelei & Thetidis. Claudian.in nuptias Honorij & Mariæ.

c Magnetas variis infortuniis affectos, vel ex Archilochi dicto ſatis conſtat,Κλαίω θαλασσῶν, ὄτα Μαγνήτων κακά.Fleo marium, non magnetum mala.

d Strab. lib. 8. Troezenem inter ac Epidaurum locus fuit munitus Methana,eiúſq; nominis peninſula: apud Thucydidem quidam codices Methonem habent, cognominem Macedoniæ, in cuius obſidione oculus fuit Philippo exciſus. De Philippi autem exciſo oculo,Plin.lib. 7.c.37. Magna Critobulo fama eſt,extracta Philippi Regis oculo ſagitta, & citra deformitatem oris curata orbitate luminis. vid. Iuſtin.etiam in fin.7.

e Philoctetes Meliboenſis Herculis comitis iuſſu rogum incendit,ſagittarum heres relictus eſt. Hunc Homerus ſagittarum peritiſſimum nominat. lege etiam Senecæ Hercul. Oetheum.

CAP. XV.

De Macedonia,& Regum ſucceſſione,ac Peanite lapide.

QVi Edonij quondam populi,quæq;Mygdonia erat terra,aut Pierium ſolum,vel Æmathium, nūc ōne vniformi vocabulo Macedonica res eſt:& partitiones, quæ ſpecialiter antea ſeiungebantur, Macedonum nomini contributæ,factæ ſunt corpus vnum. Igitur Macedoniam præcingit Thracius limes.

mes.meridiana Thessalię Epirotę tenent:à vesperali plaga Dardani sunt & illyrij:qua septętrione tunditur,Pœonia ac Pelagonia protegitur. A Triballis,mõtanis excessibus aquilonio frigori obiecta.Inter ipsam & Thraciá Strymo amnis facit terminũ, qui ab Hæmi iugis irrigatur.Verũ vt sileá aut Rhodopen Mygdonium mõtem,aut Athõ classibus Persicis nauigatum,cõtinentiq; abscissum mille quingentorum passuũ longitudine,simul de [a]auri venis, & argenti,quæ optimæ in agris Macedonum, & plurimæ eruuntur, Orestidem dicam.Populi sunt, qui vt [b]Orestidæ dicerẽtur, inde cœptũ.A Mycenis profugus matricida,cum abcessus longiùs destinasset,natum sibi in Æmathia paruulum de Hermione,quam in omneis casus sociam adsciuerat,hic mã dauerat occulendum.Adoleuit puer in spiritu regij sanguinis nomen patris sui referens.Occupatóque quicquid esset quod procedit in Macedonicum sinum, & Adriaticum salum, terram cui imperitauerat,Orestidem dixit. Admonet Phlegra,vbi antequam oppidum fieret,rumor est militia mundi dimicatũ cum gigãtibus,vt penitus persequamur quãtis probationibus ibidẽ imperij indicia diuinę expeditionis in hoc seculo perseuerarint.Illic siquando, vt accidit,nýmbis torrẽtes excitantur,& aucta aquarum pondera ruptis obicibus valentiùs se incampos ruunt eluuione,ossa etiam nunc ferunt detegi ,quæ sunt ad instar corporis humani ,sed modo grandiore,quę ob enormem magnitudinem, mõstrosi exertus iactitant extitisse,idq; adiuuatur argumento saxorum immanium, quibus [c] oppugnatũ cęlũ crediderunt. Pergam ad residua, quę in Thessaliam & Æmoniam

Æmoniá porriguntur.Sunt .n.[d]arrectiora,quàm vſquá proceritas mõtana attolli valeat. Nec eſt in terris omnibus, quod meritò ad iſtas eminẽtias cõparetur,quippe[e]quas ſolas diluuialis irruptio cum vniuerſa obduceret humido ſitu,inacceſſas reliquit.Durant veſtigia non languidæ fidei,quibus apparet hos locos ſuperſtites vndoſæ tempeſtati fuiſſe. Nam in latebroſis rupiũ cauaminibus,quę fluctuũ confligijs tũc adeſa ſũt,reduuiæ [f]cõchyliorũ reſederũt,& alia multa quę affatim mari incito expuuntur. Ita vt ſint licet facie mediterranea,appareãt tamen ſpecie littorali.Nunc de incolis reddam.[g]Æmathius,qui primus in Æmathia accepit principatũ,ſeuquia indago originis eius æuo diſperijt, ſeu quia alta res eſt,genuinus terræ habetur.Poſt hunc in Macedonijs exortũ Æmathiæ nomẽ perſiſtit.Sed[h]Macedo Deucalionis maternus nepos,qui ſolus cũ domus ſuæ familia morti publicæ ſuperfuerat,vertit vocabulum,Macedoniámq;à ſe dixit.Macedonẽ [i]Caranus inſequitur dux Pelopõneſiacæ multitudinis, qui iuxta reſponſum datũ à Deo,vbi caprariũ pecus reſediſſe aduerterat,vrbem cõdidit ,quam dixit αἰγ-αν,in qua ſepeliri reges mos erat.nec alter excellentium virorum buſtis apud Macedonas priſcos dabatur locus. Succedit [k]Carano Perdica 11 & xx olympiade,primus rex nominatus, cui Alexander Amynthæ filius diues habitus eſt,nec immeritò.Ita enim affluenter ſucceſſus eius proficiebant,vt ante omneis Apollini Delphos,Ioui Elidem ſtatuas aureas dono miſerit. Voluptati aurium indulgẽtiſſimè deditus, ſic vt plurimos qui fidibus ſciebant,dum vixit ,in vſum oblectamẽti donis tenuerit liberalibus,inter quos & Pin

m Pindarum Lyricũ. Ab hoc Archelaus regnum excepit, prudens rei bellicæ, naualium etiam commẽtor præliorum. Archelaus in tantum literarum armator fuit, vt Euripidi Tragico consiliorum suorũ summam crederet. Cuius suprema non contentus prosequi sumptu funeris, °crinem tonsus est, & mœrorem qué animo conceperat, vultu publicauit. Idé Archelaus Pythias & olympicas palmas quadrigis adeptus, græco potius animo, q̃ regali gloriam illam præ se tulit. Post Archelaum Macedonica res dissensione iactata in Amynthę regno stetit, cui tres liberi, sed Alexãder patri succedit. Quo exẽpto, Perdiccæ primũ data copia amplissimę Ppotestatis, qui obiẽs hereditariũ regnum fratri Philippo reliquit, quem captũ oculo dextro apud Methoné supra diximus, cuiúsq; debilitatis omen præcesserat. Nam cum nuptias ageret, acciti tibicines carmé Cyclopeũ quasi de colludio concinuisse traduntur. Hic Philippus magnum procreat Alexandrum, quãlibet Olympias Alexãdri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectauerit, cũ se coitu draconis cõsatam affirmaret. Ita tamen ipse egit, vt Deo genitus crederetur. Peragrauit orbem, rectoribus Aristotele & Calisthene vsus: subegit Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum: Taurum, Caucasúmq; transgressus est. Bactras domuit. Medis & Persis imperauit, cepit Indiã, emẽsus omnia ad quę Liber & Hercules accesserant. Forma supra hominem augustiore, ceruice celsa, lætis oculis, & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis lineamentis non sine maiestate quadã decorus. Victor omnium, vino & ira victus. Morbo vinolen-

tiæ

tiæ apud Babyloné humiliore, quàm vixerat, fortuna exemptus. Post r quem qui fuerũt, magis ad segetem Romanæ glorię, quàm ad hæreditatẽ tanti nominis ortos inuenimus. Macedonia lapidẽ gignit, quem Peãtidem vocãt. Hunc eundẽ & concipientibus & parientibus opitulari fama prodiga est. Circa ſ Tyresiæ sepulcrum plurimus inuenitur.

IN CAP. XV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Approbat hoc etiam Aristot. in Natur. mir. & Diod.
b V.C. Plin. & Stephanus *Orestæ* habent.
c V.C. *impetitum:*
d Plin. lib. 4. c. 8. Montes in Thessalia sunt I V & X X X. quorum nobilissimi Cerceti, Olympus, Pierus, Ossa: cuius ex aduerso Pindus & Othrys, Lapitharum sedes, hi ad occasum vergentes ad ortus Pelios, omnes theatrali modo inflexi cuneatis ante eos L X X V. vrbibus.
e Idem asserit Martian. Xenophon. in lib. de Æquiuocis plura fuisse diluuia tradit: Inundationes, inquit, plures fuêre. Prima nouimestris inundatio terrarum sub Prisco Ogyge 2. Niliaca menstrua sub Ægyptiis, Hercule, & Prometheo, Bimestris autem sub Ogyge Attico in Achaia, Trimestris Thessalica sub Deucalione, Pharaonica sub Protheo Ægyptio in raptu Halenæ.
f Similia refert Mela 1. & eadem de Ægypto Herodotus in principio lib. 2.
g Berosus lib. 4. & 5. hunc Camesis filium facit.
h Berosl. lib. 5. Osyridis filium dicit.
i vid. Iustin. lib. 7.
k Hic moriens, regnum penes posteros fore, quamdiu ibi conderentur mortui, dixit: vnde in Alexandro stirpem extinctam crediderunt, quòd locum sepulturæ mutauerit.
l Dona huc attulerunt Gyges Lydorum Rex, Mydas Phrygiæ Rex, & Sylla Romanus. vid. Diod. lib. 16. Iustin. 24.
m Alexandro rege claruerunt, Simonides & Pindarus,

Sophocl. Æschyl. & Euripid.

n Exemplo Pyrrhi regis, P. Scipionis, Pompeij Magni, & aliorum Heroum.

o Ouid in Epist.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere iustis.
In tua non tonsas ferre sepulcra comas.

p V.C. addit, *indipiscendæ.*

q Similis conceptus tribuitur P. Scipioni. vid. Gellium cap. 1. lib. 7.

r Claudian.

Subiecit Persem Macedo, cessurus & ipse Romanis.

s Strabo lib. 9. Sepulcrum hoc Teiresij extitisse dicit iuxta fontem Tilphosium, qui profluit sub monte Tilphosio prope Haliartum & Alascomenas, ibidémque fuisse templum Tilphosij Apollinis. Diodorus lib. 5. ait sepultum fuisse Teiresiam à ciuibus suis non sine Deorum honore.

CAP. XVI.

Thracum mores, & instituta, & prouinciæ situs ac natura.

NVnc in a Thraciam locus est pergere, & ad validissimas Europæ gentes vela obuertere. Quas qui sedulò experiri velit, non difficulter deprehendet, Thracibus barbaris inesse contemptum vitæ: & ex quadam naturalis sapientiæ disciplina cõcordant omnes ad interitum volũtarium, dum nõnulli eorum putãt obeuntium animas reuerti, b alij nõ extingui, sed beatas magis fieri. Apud plurimos luctuosa sunt puerperia. Deniq; recentem natum fletu parens excipit. Contrauersum læta sunt funera, adeo vt exemptos gaudio prosequantur. Vxorum numero se viri iactitant, & honoris loco ducunt multiplex coniugium. Quæ fœminæ tenaces sunt

pudicitiæ,defunctorum insiliunt coniugum rogos, &,quod maximum insigne ducũt castitatis, præcipites in flammas eunt.Nupturæ non parentũ arbitratu trãseunt ad maritos,sed quę prę cæreris specie valét,subhastari volunt,&li cẽtia taxationis admissa,nõ moribus nubũt,sed præ mijs.Quas formæ premit dedecus,dotibus emunt quibus coniungantur. Vterq; sexus epulantes,focos ambiunt,herbarum quas habẽt semine ignibus superiecto.Cuius nidore [d] perculsi,pro lætitia habent imitari ebrietatem sensibus sauciatis. De ritu ista sunt.De locis & populis,quæ sequuntur. Strymonem accolunt dextro latere Densalatæ. [e] Bessorum quoque multa nomina ad vsque Nestum [f] amnem, qui radices Pangei circunfluit.Hebrum Odrysarum solum fundit,qui fluuius excurrit inter Briantas,g Dolancas, Thunos, Corpillos ,aliósque barbaros tangit,& Cyconas.Deinde Hæmus sex millibus passuum arduus, cuius auersa Mœsi,Getæ,Sarmatæ,Scythæ,& plurimæ insidunt nationes. Ponticum littus Sithonia gens obtinet,quæ nato ibi Orpheo vate decus addidit nomini.Quem siue sacrorum,siue cantuum secreta [h] in Serrio promontorio agitasse tradunt.Deinde stagnum Bistonium,nec longè regio Maronea, in qua Tinda oppidum fuit,equorum Diomedis stabulum.Sed cessit æuo,solúmque turris vestigium ad huc durat.Inde non procul vrbs Abdera,quam Diomedis soror & condidit,& à se sic vocauit.Mox Democriti domus physici:ac,si verum rimere ,ideo nobilior.Hanc Abderan olympiade prima & tricesima senio collapsam Clazomenij ex Asia ad maiorem faciem restitutam ,obliteratis quæ præcesserant,no-

mini ſuo vindicarunt. Locum Doriſcon illuſtrem reddidit Xerxis aduentus,quòd ibi recoluit militis ſui numerum.Polydori tumulum oſtendit Æmus in parte quam Aroteres Scythę celebrant.Quondam vr bem Geraniam, [i] Cattuzan Barbari vocant, vnde à gruibus Pygmæos ferunt pulſos. Manifeſtum ſanè eſt in ſeptentrionalem plagam hyeme grues frequentiſſimas conuolare. Nec piguerit meminiſſe, quatenus expeditiones ſuas dirigant. Sub quodam militię eunt ſigno,& ne pergentibus ad deſtinata vis ſtatuũ renitatur, arenas deuorant, ſublatísque lapillulis ad moderatam grauitatem ſaburrantur.Tunc ſe tollunt in altiſſima, vt de excelſiore ſpecula metentur quas petant terras.Fidens meatu præit cateruas.Volatus deſidiam caſtigat voce,quæ cogit agmen. Ea vbi obraucata eſt,ſuccedit alia.Pontum tranſituræ, anguſtias captant.Et quidem eas promptum eſt oculis deprehendere, quæ inter Tauricam ſunt & Paphlagoniam,id eſt inter Carambem,& κριῦ μέτωπον. [k] Cum trans medium alueum aduentaſſe ſe ſciunt, ſcrupulorum ſarcina pedes liberant.Ita nautæ prodiderunt,compluti ſæpe ex illo caſu imbre ſaxatili.Arenas non priùs euomunt, quàm ſecuræ ſedis ſuæ fuerint.Cõcors cura omniũ pro fatigatis, adeo vt ſi quę defecerint,congruant vniuerſæ,laſſáſque ſuſtollant, vſq;dum vires otio recuperentur. Nec in terra cura ſegnior.Excubias nocte diuidũt,vt exſomnis ſit decima quæque.Vigiles ponduſcula digitis amplectuntur, quæ ſi fortè exciderint, ſomnum coarguunt. Quod cauendum erit,clangore indicant.Ætatem in in illis ꝓdit color: nigreſcũt enim ſenectute. Veniamus ad promontorium Chryſoceras Byzantio oppi-

do

do nobile, antea Lygos dictũ, quod à Dyrrhachio abeſt ſeptingẽtis vndecim millibus paſſuum. Tantum enim patet inter Adriaticum mare, & Propontidem. In Cænica quoque regione non lõgè à Flauiopoli colonia, Byziæ oppidum, quondam arx Terei [l] regis, nunc inuiſum & inacceſſũ hirundinibus, & deinceps alitibus alijs, quanquam & Thebas, quòd illa mœnia ſæpius capta ſint, arſpernentur ſubire. Nam inter cætera habere illas quiddam præſcium, inde noſcitur, quòd lapſura nõ petũt culmina, & aſpernantur peritura quoquo modo tecta. Minimè certè à diris auibus impetuntur, nec vnquam præda ſunt, vt ſacræ: cibos nunquam ſumunt reſidentes, ſed in aëre capiunt eſcas, & hauriunt. Alter Iſthmos in Thracia eſt ſimilibus anguſtijs, & pari latitudine arcti maris, cuius littora duę vrbes vtrinq; ſecus oſtentant. Propontidis orã inſignit Pactye, Melanem ſinum [m] Cardia, quòd in cordis faciem ſita ſit, dicta Cardia eſt. Omnis autem magnus Helleſpontus ſtringitur in ſtadia ſeptem, quibus ab Europa Aſiaticam plagam vindicat. Hîc quoque vrbes duæ, Abydos Aſiæ eſt, & Seſtos Europæ. Deinde contraria inter ſe promontoria, Maſtuſia Cherroneſi, vbi finitur Europæ ſinus tertius: Sigęum Aſiæ, in quo tumulus eſt, [n] Cynoſſema dictus, Hecubæ ſepulchrum, & turris Proteſilai delubro data. Finibus Thraciæ à ſeptentrione Iſter obtenditur, ab oriente Pontus, ac Propontis. A meridie Ægæum mare.

IN CAP. XVI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Thraciæ gentes eleganter describit Marcellinus lib. 22. Strab. 7. Herodot. in princip. 5.

b Democritus Philosophus quòd posuerit hominum resurrectionem ridetur à Plin. lib. 7. cap. 55.

c Quædam exemplaria habent *subarrari*, vocc non nisi in veteribus canonibus vsitatâ. Iulianus Pontif. 11. Decret. parte, Si quis desponsauerit vxorem, vel subarrauerit. Innocent. III. cap. XIV. de desponsat. impub. Quidam filiam suam circiter XII. annos habentem, cuidam nobili desponsauit: qui subarrauit eandem, consensu mutuo accedente. Et paulo post, Quamuis ab ipso viro eadem fuerit subarrata. Gregorius etiam: Si quis vxorem desponsauerit, vel eam subarrauerit. Clarissimus Vir D. Delrio arbitratur subarrationem genus quoddam coëmptionis, sed donationis, matrimonij contrahendi gratiâ introductum. Nam quod Iulian. Innocent. & Gregorius subarrare dicunt, illud ipsum in decretis Concilij Tiburiensis donare vocatur.

d Heredot. in Clio, simile annotat de quarundam arborum fructu apud Massagetas.

e Plin. lib. 4, C. 1. Densel atas, & eiusdem libri cap. 11. De seletas vocat.

f Aristot. lib. 6. c. 31. & Plin. lib. 8. cap. 16. repetit. In Europa inter Achelaũ tantùm, Nestúmque amnes leones esse, sed longè viribus præstantiores iis quos Africa, aut Syria gignãt.

g Stephanus, & alij δολογκίους., Doloncus Bithyni frater, Thracum rex.

h Habent vulgata exemplaria Sperchio, sed *Serrium* legendum esse suadet Mela lib. 2. c. 2. Promontorium Serriũ, ex qua canentem Orphea sequuta nantur nemora.

i Plin lib. 4. cap. 11. Catizos vocat.

k id est, arietis frons, ob similitudinem.

l Historia apud Paus. circa finem Atticæ. Fab. apud Ouid. 6. Metam.

m Stephan. aliter nominis originẽ interpretatur, quòd videlicet Hermochare diuina faciente, cor victimæ raptum à coruo in Thraciæ partem illam delatum fuerit.

CAP. XVII.

Insulæ, Claros, cuius facies Aegæo mari nomen dedit, Cythera, Creta, in qua multa referuntur, quæ tum ad animalium omnium genera, tum ad plantas pertineant. Caryſtos, cum aquis Hellopys mirè ſalubribus, Cyclades, Sporades, Athonis umbra.

INter Tenedum & Chium eſt Claros inſula qua Ægeus ſinus panditur: ab dextra Antandrum nauigantibus ſaxum eſt. Hoc enim verius, quàm inſula meruit cognominari. id quoniam viſentibus procul capreæ ſimile creditur, quam Græci αἴγαν nuncupant, Aegæus ab eo ſinus dictus eſt. A Phalauro Corcyrę promontorio ad nauis effigiem ſcopulus eminet, in quem transfiguratam Vlyſſis nauem crediderunt. Cythera, quæ à Malea abeſt quinque millibus paſſuum, [a] Porphyrius antea nomen fuit. Pronius eſt Cretam dicere, quàm abſoluere in quo mari iaceat. Ita enim circumfluis illius nomina græci permiſcuerunt, vt dum alijs alia inferunt, penè obduxerint vniuerſa. Quáta poſſimus tamẽ fide in deſignanda operam locabimus, nequid hęreat ſub ancipiti. Inter ortum porrigitur & occaſum tractu longiſſimo, hinc Græcia, inde Cyrenis obiacentibus. A ſeptentrione Aegæis, & ſuis, id eſt Creticis æſtibus verberatur. Ab Auſtro Lybicis vndis perfunditur, & Aegyptijs, conſlipata centum vrbibus, ſicut perhibent qui prodigè lingua largiti ſunt, ſed magnis & ambitioſis oppidis: Quorum principatus eſt penes Gortynam, Cydona, Gnoſon,

Therapné,[c] Scylletion. Dosiades eam à Crete nympha Hesperidos filia, Anaximander à Crete rege Curetum, Crates Aeriam prius dictam, mox Curetim, nonnulli etiã à tẽperie cœli μακαρόννσον appellatã prodiderũt. Prima mari potuit nauibus & sagittis. Prima literis iura iunxit. Pyrrhicé docuit Pyrrhoreptore. Equestres turmas prima docuit lasciuas vertigines implicare. Ex qua disciplina bellicæ rei vsus datus est. Studiũ musicũ inde cœptũ, cum dæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versificũ ordiné trãstulissent. Albet iugis montiũ Dictinnæi, & Cadischi, qui ita excãdescunt, vt eminus nauigantes magis putent nubila. Præter cæteros Ida est, qui ante solis ortum solem videt. Varro in libro quem de littoralibus fecit, etiã suis tẽporibus affirmat sepulcrum Iouis ibi visitatum. Cretes Dianam religiosissimè venerantur. Βριθομάρτιν[d] gentiliter nominãtes, quod sermone nostro sonat virginé dulcé. Ædem numinis præterquam nudus vestigia nullus licitò ingreditur. Ea ædes ostentat manus Dædali. Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europã Tauri dorso Gortyni ferunt vectitatam. Iidem Gortyni & Cadmum colunt Europæ fratrem. Ita enim memorant. Videtur hic, & occurrit, sed die iam vesperato augustiore se facie visendũ offerens. Gnosij Mineruam ciuem Deam numerant, primumque apud se fruges satas affirmant, audacter cum Atticis contendentes. Ager Creticus syluestrium caprarum copiosus est, ceruo eget. [e]Lupos, vulpes, aliáque quadrupedum noxia nusquam educat. Serpens nulla, larga vitis, mira soli indulgentia, arborum prouentus abundantes. Nam in huius tantùm insulæ parte repullulãt

repullulát cæſæ Cupreſſi. Herba ibi eſt quæ ἄλιμος dicitur. f Ea admorſa diurná fame phibet. Proinde & hæc Cretica eſt. Phalangium aranei genus eſt: ſi niſum quæras, nulla vis corporis; ſi poteſtatem, ictũ hominem veneno interficit. Lapis quoque Idæus Dactylus dicitur inſulæ iſtius alumnus, coloris ferrei, humano pollici ſimilis. Auem noctuam Creta non habet: & ſi inuehatur, emoritur. Caryſtos aquas g calenteis habet, quas ἑλλοπίας vocãt. & Caryſtias aues, h quæ flammas impunè inuolant. Carbaſa etiam, quæ inter igneis valent. Calchis eadem habita eſt apud priſcos, vt Callidemus author eſt, ære ibi primùm reperto. Titanas in ea antiquiſſimè regnaſſe oſtendunt ritus religionũ. Briareo enim rem diuinam Caryſtij faciunt, ſicut Ægæoni Calcidenſes. Nam omnis fermè Euboea Titanum fuit regnũ. Cycladas autumant inde dictas, quia licet ſpatijs longioribus à Delo proiectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ ſunt, & orbem κύκλον Graij ferunt. Ios Homeri tumulo cæteras antecedit. Memminiſſe hoc loco par eſt poſt primũ diluuium Ogygij temporibus notatum, cum nouem & amplius menſibus diẽ continua nox inumbraſſet, Delon ante omnes terras radijs ſolis illuminatam, ſortitámque ex eo nomen, quòd prima reddita foret viſibus. Inter Ogygium i ſanè & Deucalionem medium æuum D c. annis datur, Eadẽ & Ortygia, quæ clariſſima è Cycladum numero multifariè traditur. Nunc Aſteria à cultura Apollinis, nunc à venatibus Lagia, vel Cynethus, Pyrpole etiam, quoniam & ignitabula ibi & ignis inuenta ſunt. In hac primùm viſæ Coturnices aues, quas ὄρτυγας Græci vocant. Has eaſdem in

Latonæ

Latonæ tutela existimant constitutas, nec semper apparét:adueniendi habent tempora æstate depulsa.Cum maria tranant,impetus differunt,& metu spatij longioris vireis suas nutriunt tarditate.Vbi terram persentiscunt, coëunt cateruatim, deinde globatæ vehementiùs properant.quę festinatio plerumque exitium portat nauigantibus.Accidit enim plerumque noctibus, vt vela incidant,& præponderatis sinibus alueos inuertant.Austro numquam exeunt.nam metuunt vim flatus tumidioris.Plurimum se Aquilonibus credunt,vt corpora pinguiuscula,atque eo tarda,faciliùs prouehat siccior & vehementior spiritus.Ορτυγομῆτρα dicitur,quę gregé ductitat.eandẽ terrę proximantẽ accipiter speculatus rapit.Ac propterea opera est vniuersis,vt solicitent ducem generis externi, per quem frustrentur prima discrimina. Cibos gratissimos habent semina venenorum : quam ob causam eas damnauére prudentium mensæ.Solum hoc animal,præter hominem,morbum patitur comitialem. Eubœa tam modico æstu diuidua est à Bœotiæ cõtinenti,vt dubitandum sit,an numerari inter insulas debeat. Nam latere quem vocant Euripum , terræ ponte iungitur,& per fabricam breuissimæ machinæ aditur pede.Cenæo promontorio vadit in septentrionem,duobus alijs in meridiem extenditur:quorum Geræstos spectat Atticam,Caphareus prominet in Hellespontum.Vbi post Ilij excidium Argiuam classem vel Mineruæ ira,vel,quod certior prodit memoria,sydus Arcturi grauibus affecit casibus.Marmore Paros nobilis,à Delo oppido frequentissima , priùs tamen Minoia quàm Paros dicta. Nam subacta

à Minoe,quoad in Creticis manſit legibus,Minoiá loquebátur.Præter marmora dat & Sardam lapidẽ, qui marmore quidem præſtat,inter gemmas verò viliſſimus ducitur.Naxon à Delo duodeuiginti millia paſſuum ſeparant,in qua Strongyle oppidum. Sed Naxos Dionyſia prius quàm Naxos dicta,vel quia hoſpita Libero patri,vel quòd fertilitate vitiũ vincat cæteras.Sunt præterea Cyclades plurimæ, ſed in ſupra dictis præcipuũ eſt quod memoriæ debeatur.De Sporadib⁹ eſt & Icaros, quæ Icario mari nomen dedit. Hęc inter Samum & Myconum procurrentibus ſaxis inhoſpita,ac nullis ſinibus portuoſa,ob inhumana littora infamis eſt.Vult ergo Varro Icarũ Creten ibi naufragio interijſſe,& de exitu hominis impoſitum nomen loco.Nam in Samo nihil nobilius quàm [k] Pythagoras ciuis,qui mox offenſus faſtu tyrannico,relicta domo patria Bruto cõſule qui reges vrbe exegit, Italiam aduectus eſt. Melos, quam Callimachus μελανίδα dixit,omniũ inſularum rotundiſſima eſt,iuxta Æoliam. Nam Carpathus ipſa eſt,à qua Carpathium ſinum dicimus.Nunquam ita cœlum nubilum eſt,vt in ſole Rhodos non ſit.Lemnij Vulcanum colunt, ideo in Lemno metropolis Hephæſtia.Præterea oppidum Myrina,in cuius forum mons Athos è Macedonia vmbram iacit.Quod non fruſtra inter miracula notauerunt, cùm Athos à Lemno ſex & octoginta millibus paſſuum ſeparetur.Eſt ſanè Athos ſublimis adeo,vt altior æſtimetur,quàm vnde imbres cadũt. Quæ opinio eò fidem concepit, quòd in aris quas cacumine ſuſtinet,nunquam cineres eluuntur,nec quicquá ex aggeribus ſuis perdunt, ſed quo relicti

fuerint cumulo permanẽt. In sũmo oppidum Acro thõ fuit, in quo dimidio lõgior, quàm in alijs terris incolentium ætas prorogabatur. Ideo inde homines μακροβίους Græci nostri appellauére longæuos.

IN CAP. XVII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Ab ingenti purpurarum captura.

b V.C. Cnosson.

c Cl.D. Delrio legit, *Dium, Lyctum*. Et sanè Plinius lib. 4. cap. 12. harum vrbium in Creta meminit. Homerus etiam & Hesiodus posteriorem poëmatis suis nobilitarunt.

d Cretẽsibus, vt notat Hesychius, τὸ βριτὺ sonat γλυκύ. Et Cornutus Brisein quasi Britein dictam ait, quasi dicas suauem & charam Achilli: quemadmodum autem reliquis Græcis virgo dicitur παρθένος ἀπὸ τοῦ παρθέειν τῇ μητρὶ: sic Cretenses virginem ὅμαρτιν appellarunt, παρὰ τὸ ὁμάρτεῖν τῇ μητρί. Matrem enim sequebantur virgines. Horat. lib. 1. Oda 23.

Tandem desine matrem
Tempestiua sequi viro.

e Diodor. Sic. Herculis beneficio attribuit, qui insulam ita purgauit.

f Plutarchus in Sympos. inter pharmaca nominat ἄλιμα καὶ ἄδιψα, quæ tum famem, tum sitim obrepere cohibeant. Vide etiam Dioscor.

g Tib. lib. 4.

Cretæus ardens aut vnda Caystia campis.

h Aristot. de admirandis in Natur. ait esse aues quasdã, quæ nihil omnino sentiant.

i Euseb. lib. Tempor. scribit Ogygem fuisse anno mundi 3400. Deucalionem verò anno 3670.

k Strab. lib. 14. Polycratis ætate ferũt Pythagoram, cùm gliscentem in patria videret tyrannidem, Samo excessisse, inque Ægyptum & Babylonem discendi studio abiuisse, cúmque reuersus eam videret durare, in Italiam nauigasse, atque ibi vitæ reliquum confeciſſe.

CAP.

CAP. XVIII.

Ex quarto Europæ ſinu, Helleſpontus, Propontis, Boſphorus Thracius, & mira de Delphinis.

QVartus Europæ ſinus Helleſponto incipit, Meotidis [a]oſtio terminatur. Atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Aſiámque diuidit, in ſeptem ſtadiorum anguſtias ſtringitur. Hic eſt Helleſpōtus, hac Xerxes ponte nauibus facto permeauit. Tenuis deinde Euripus porrigitur ad Aſiæ vrbem Priapum, quam magnus Alexāder potiundi orbis amore trāſcendit, & potitus eſt. Inde diffuſus æquore patentiſſimo rurſus ſtringitur in Propōtidē, mox in quingēntos paſſus coarctatur, fitque Boſphorus Thracius, quà Darius copias traanſportauit. Hæc profunda delphinas plurimos habēt, in quibus cauſæ miraculi multiformes. Ante omnia nihil velocius habent maria, ſic vt plerumque ſalientes tranſuolent vela nauium. [b]Quoquò eant, coniuges euagantur. Catulos edunt. Decimus menſis maturum facit partum. Lucinam æſtiuus dies ſoluit. Vberibus fœtus alunt. Teneros in faucibus receptāt. Inualidos aliquantiſper proſequuntur. In triceſimum annum viuunt, quod exploratum eſt in experimentum caudis amputatis. Ora non quo cęterę belluę loco habent, ſed fermè in ventribus. Contra naturam aquatilium ſoli linguas mouent. Aculeatæ ſunt ſpinæ dorſuales. cùm ira ſubiacet, inhorreſcunt. cùm animi conquieſcunt, quibuſdam receptaculis operiuntur. Spirare eos in aquis negant, & vitales auras nonniſi in aëre ſupero recipere. Pro voce gemitus eſt ſimilis humano. Certum habent vocabulum, quo accepto

vocantes sequũtur. Nam propriè [c] Simones nominantur. Voces hominum aquilonis flatu celeriùs hauriunt. Contrà austro spirante auditus obstruuntur. Mulcentur musica, gaudent cantibus tibiarum: vbicunque symphonia est, gregibus aduentant. D. Augusto principe, in Campania delphinem puer fragmentis panis primò illexit, & in tantum consuetudo valuit, vt alendum se etiam manibus ipsius crederet. Mox cùm prolusisset puerilis audacia, intra spatia eũ Lucrini lacus euectitauit. Vnde effectũ vt à Baiano littore equitantem puerũ Puteolos vsq; perueheret. hoc per annos plurimos tandiu gestum est, donec assiduo spectaculo desineret miraculũ esse quod gerebatur. Sed vbi obijt puer, sub oculis publicis desyderij [d] mœrore delphin interijt. Pigerethoc asseuerare, ni Mecænatis, & Fabiani, multorumq; præterea esset literis comprehensum. In [e] Africano mox littore apud Hipponẽ Diarrhyton Delphin ab Hipponẽsibus pastus tractandũ se præbuit, impositos quoq; frequẽter gestauit. Nec populi tãtùm manibus acta res est. Ná & proconsul Africæ Flauianus ipse eum contigit, vnguentis etiã delibuit, qui odoris nouitate obsopitus, aliquãtisper pro exanimi iactatus est, multisq; mẽsibus desciuit à solita cõuersatione. Apud Iassum, [f] puerum delphinus adamauit, quem dum post assueta colludia recedentem impatiẽtiùs sequitur, arenis inuectus hæsit. Alexander Magnus amorem illum numinis fuisse interpretatus, præfecit puerum Babylone Neptuni sacerdotio. Iuxta eandem vrbem, vt Egesidemus author est, alium puerum Hermiam nomine per maria similiter insidentem cùm vndosior fluctus necasset, delphin

phin ad terram reuexit: & velut fateretur reatum, pœnitentiam ſuam morte multauit, nec reuerti voluit amplius in profunda. Suppetunt & alia exempla, vt Arionem tranſeamus, cuius exitum annaliũ fides comprobauit. Ad hæc ſiquando laſciuiunt noui fœtus, à maioribus datur adultior gregi cuſtos, quo magiſtro eludere impetus incurſantium belluarum addiſcant: quanquam ibi præter Phocas rara bellua eſt. Plurimus Thynnus in Ponto, g nec alibi penè fœtificant. Nuſquam enim citius adoleſcunt, ſcilicet ob aquas dulciores. Illabuntur veris tempore, intrant dextro latere, læuo exeunt. hoc inde accidere credunt, quòd dextris oculis acutius cernunt, quàm ſiniſtris.

IN CAP. XVIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a V.C. *Mæotis*, vt Plin. & Martian.

b V.C. *Quò coeant*, vt pudorem inſitum probent.

c *omnes*. V.C. *Sinomones*.

d Appianus 5. Ægyptiacorum, hæc omnia ſe, multóſque alios dixiſſe ait.

e V.C. *Africo*.

f Habent pleraque exemplaria *Apud Iaſſum vrbem Babyloniæ*, &c. Ex Plinio autem, Strabone, Stephano, & aliis cõſtat, Iaſſum, vbi hoc accidit, non Babyloniæ, ſed Cariæ vrbẽ eſſe, vnde colligitur verbum hoc addititium eſſe. Hiſtoriam etiam Ælianus, Oppianus & Athenæus habent.

g Ariſtot. lib. 9. cap. 17. de natur. animal. ait, omne piſciũ genus celeriter adoleſcere, & præcipuè in Ponto.

CAP. XIX.

De Iſtro, Hypani, & Boryſthene, fluuijs & Scythiæ parte, & de memorandis ferè omnibus quæ in his naſcantur locis.

ISTER Germanicis iugis oritur, effusus mõte, qui in [a]Rauracos Galliæ spectat, sexaginta amneis in se recipit, omnes fermè nauigabiles, [b] septem ostijs Pontum influit: quorum primum Peuce, secundum Narcustoma, tertium Calostoma, quartum Pseudostoma. Nam Boreostoma, ac deinde [c] Stenostoma languidiora sunt cæteris. Septimum verò pigrum, ac palustri specie, non habet quod amni comparetur. Priora quatuor adeo magna sũt, vt per longitudinem quadraginta millium passuum non misceantur æquori, dulcemque haustum incorrupto detineant sapore. Per vniuersum Pontum Fiber plurimus, quem alio vocabulo dicunt Castorem. [d] Lutrę similis est, animal morsu potentissimum, adeo vt cum hominem inuadit, conuentum dentium non priùs laxet, quàm concrepuisse persenserit ossa fracta. Testiculi eius appetuntur in vsum medelarum, idcirco cùm vrgeri se intelligit, ne captus prosit, ipse geminos suos deuorat. Mittit Põtus & gemmas, quas à patria Ponticas dicimus, genere diuerso. Aliæ aureas, aliæ sanguineas habent stellas, & hæ quidem inter sacras habentur. Namque ostentationi potius quàm vsui deliguntur. Non guttis aspersæ sunt, sed longis colorum ductibus liniuntur.

IN CAP. XIX. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Sic in Plinio, & Ptol. qui *Tauricos* habent, legendum & Iulius Cęsar, & quicunque in locis illis fuit, docet.

b Plin. & Tacit. sex tribuunt, Herodotus, Claudianus, Arrianus, Ammianus, lib. 22. Flacc. 8. Argonaut. Stat. 5. Syluar. & Mela septem. Nomina referũt Plinius, Strabo, Ammianus: clariùs Ptol, cap. 10. lib. 3. tab. 9. Europæ.

c V.C.

c V.C:*Spireostoma.*

d Varro lib:4.Lytram dicit,quòd succidat,& in ripis arborum radices soluat.

e Vide Ammianum 17.& Iuuenal.12.

f Inuersa hęc Clariss.D.Delrio genuino restitult ordini, *Et hæ quidem quæ inter sacras habentur,non guttis aspersæ sunts sed longis cælorum ductibus liniuntur. Indéque ostentationi potiùs quàm vsui deliguntur:*

CAP. XX.

De Hypani,& Borusthene.

AMnis Hypanis oritur inter Auchetas, Scythicorum amnium princeps, purus & haustu saluberrimus, vsq; dum Callipidum terminis inferatur,vbi fons Exampeus infamis est amara scaturigine,qui Exampeus liquido admistus fluori,amnem vitio suo vertit,adeo vt dissimilis sui in maria condatur.ita inter gentium opiniones fama de Hypane discordat:qui in principijs eum norunt, prædicant:qui in fine experti sunt,non iniuria execrantur.Apud Neuros nascitur Borysthenes flumen,in quo pisces egregij saporis,& quibus ossa nulla sunt, nec aliud quàm chartilagines tenerrimæ. Verùm Neuri,vt accepimus,æstatis [a] temporibus in lupos transfigurantur:deinde exacto spatio,quod huic sorti attributum est,in pristinam faciem reuertuntur. Populis istis deus Mars est;pro simulacris enseis colunt. Homines victimas habent,ossibus adolent ignes focorum.Geloni ad hos proximát.De hostium cutibus & sibi indumenta faciunt,& equis suis tegmina.Gelonis [b] Agathyrsi collimitantur, cæruleo picti colore,fucatis in cærulum crinibus,nec hoc si-

ne differentia.nam quanto quis altero præstat,tanto propensiore nota tingitur,vt sit indicium humilitatis minùs pingi.Pòst Anthropophagi,quibus execrandi cibi sunt humana viscera:quem morem impiæ gentis,adiacentium terrarum prodit tristissima solitudo,quas ob nefarium ritum finitimæ nationes metu profugæ reliquerunt:& ea causa est vt vsq; ad mare [c] quod Tabin vocant, per longitudinem eius oræ quæ æstiuo orienti obiacet,sine homine terra sit,& immẽsa deserta,quoad perueniatur ad Seras. Chalybes & Dahæ in parte Asiaticæ Scythiæ crudelitate ab immanissimis nihil discrepant.At Albani in ora gentes,qui posteros se Iasonis credi volunt,albo crine nascuntur,canitiem habent auspicium capillorum.Ergo capillorum color [d] genti nomen dedit.Glauca oculis inest pupilla:ideo nocte plus quàm die cernunt.Apud hos populos nati canes feris omnibus anteponuntur,frangunt tauros, leones perimunt,detinent quicquid obiectum est. Quibus ex causis meruerunt etiam annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro à rege Albanię dono duos missos,quorũ alter sues sibi & vrsos oblatos vsque adeo spreuit, vt offensus degeneri præda,ignauo similis diu accubaret:quem per ignorãtiam velut inertem Alexander extingui imperauit. Alter verò monitu eorum qui donum prosecuti erant,leonem missum necauit.Mox viso Elephanto notabiliter exultans belluam primum æstu fatigauit,deinde cum summo spectantium horrore terræ affixit.Hoc genus canum crescit ad formam amplissimam terrificis latratibus vltra leones rugitibus insonãs.Hæc sũt de canibus Albanis,reliqua cõ-

munia

munia vniuersis. Dominos æqualiter canes omnes diligunt, sicut exemplis palàm factum est. In Epeiro denique domini percussorem in cœtu agnitum latratu canis prodidit. Iasone Lycio interfecto, canis ipsius aspernatus cibum inedia obijt. Lysimachi regis canis flammis se iniecit, accenso domini rogo, & pariter igni absumptus est. Garamantum regem ducenti canes ab exilio reduxerunt pæliati aduersus resistentes. Colophonij, & Castabalenses canibus in bella productis primas acies instruebant. Appio Iunio, & P. Silio coss. damnatum dominum canis cum abigi non posset, comitatus in carcerem, mox percussum, vlulatu prosecutus est. Cumque ex miseratione populi Romani potestas ei cibi fieret, ad os defuncti escam tulit. Vltimò abiectum in Tyberim cadauer adnatans sustentare conatus est. Canes soli nomina sua recognoscunt, itinerum memineruntIndi coitus tempore in saltibus canes fœminas religant, vt cum his tigrides coeant, quarum ex primis conceptibus ob nimiam feritatem inutiles partus iudicant, itidem secundos, sed tertios educant. Ægyptij canes è Nilo numquam nisi currentes lambitant, dum à crocodilis insidias cauent. Inter Antropophagos in Asiatica parte numerantur Essedones, qui & ipsi nefandis funestantur inter se cibis. Essedonum mos est parentum funera cantibus prosequi, & proximorum corrogatis cœtibus, cadauera ipsa dentibus laniare, pecudúmque carnibus mista dapes facere. Capitũ etiá ossa auro incincta in poculorum tradere ministerium Scythotauri pro hostijs cædunt aduenas. Nomades pabula sequuntur. Georgi in Europa siti, agros exercét. Axiacæ pe-

rinde in Europa ſiti, neque mirantur aliena, neque ſua diligunt. Sacarchæ vſu auri argentíq; damnato, in æternum ſe à publica auaritia abdicarũt. Scytharum interiùs habitantium aſperior ritus eſt. Specus incolunt, pocula, nõ vt Eſſedones, ſed de inimicorũ capitibus moliuntur: amant prælia; interemptorũ cruorẽ ex vulneribus ipſis bibunt. numero cædium honor creſcit, quarum expertem eſſe apud eos probrum eſt. hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſanciunt, non ſuo tantùm more, ſed Medorum quoque vſurpata diſciplina. Bello denique quod geſtum eſt olympiade nona & quadrageſima, anno poſt Ilium captum ſexcenteſimoquarto, inter Alyathem & Lydum & Aſtyagem Mediæ regem, hoc pacto firmata ſunt iura pacis. Colchorum, vrbem Dioſcoriadẽ [h]Amphitus & Telchius aurigæ caſtoris & Pollucis condiderunt, à quibus Heniochorum gens exorta eſt. Vltra Sauromatas in Aſia ſitos, qui [i] Mithridati latebram, & qui originem [k] Medis dederunt, confines ſunt [l] Thalij his nationibus quas ab oriẽte cõtingunt Caſpij maris fauces: quæ fauces mirum in modum [m] vacuantur imbribus, creſcunt æſtibus. Heniochorum montes Araxem, Moſchorum Phaſidem fundunt. Sed Araxes [n] breuibus interuallis ab Euphratis ortu caput tollit, ac deinde in Caſpium fertur mare. Arimaſpi circa [o] Geſglithron poſiti vnocula gens eſt. Vltra hos & Rhiphæũ iugum regio eſt aſſiduis obſeſſa niuibus, ὑπερφόρον dicunt. Quippe caſus continuarum pruinarum quiddam ibi exprimit ſimile pennarum. Damnata pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis merſa, ipſiſque prorſus aquilonis cõceptaculis rigentiſſima.

Rhiphæi

ma.Sola terrarum non nouit vices temporum,nec de cœlo aliud accipit quàm hyemẽ ſempiternã.In Aſiatica Scythia terrę ſunt locupletes, inhabitabiles tamẽ.Ná cum auro &gemmis affluãt,pgryphes tenent vniuerſa,alites ferociſſimæ,& vltra omnem rabiem ſæuientes:quarum immanitate obſiſtente q̃ aduenis acceſſus difficilis ac rarus eſt:quippeviſos diſcerpunt,velut geniti ad plectendam auaritię temeritatem.Arimaſpi cùm his dimicant,vt intercipiant lapides,quorum non aſpernabimur perſequi qualitates. Smaragdis hic locus patria eſt,quib⁹ tertiam inter lapides dignitatem Theophraſtus dedit. Nam licèt ſint & Ægyptij,& Chalcedonij,& Medici,& Laconici,pręcipuus tamen honor eſt Scythicis.Nihil his iucundius,nihil vtilius vident oculi.in primis virent vltra irrigua gramina,vltra amnicas herbas : deinde obtutus fatigatos coloris reficiunt lenitate. Nam viſus quos alterius gemmæ fulgor retuderit,Smaragdi recreant,& exacuunt.Nec aliã ob cauſam placuit vt non ſcalperentur,ne offenſũ decus,imaginum lacunis corrumperetur: quanquã qui verus eſt,difficulter vulneretur. Probantur hoc pacto,ſi aſpectus tranſmittant,ſi cùm globoſi ſunt, proxima ſibi inficiant aëre repercuſſo,aut cum concaui ſunt,inſpectantium facies ęmulentur,ſi neque vmbra,neque lucernis,neque ſole mutentur.Optimos tamen ſortiuntur ſitus,quibus planicies reſupina eſt,& extenta. Inueniuntur Eteſijs flantibus. Tunc enim detecto ſolo facillimè internitent.Ná Eteſiæ plurimum arenas mouent.Alij minùs nobiles in commiſſuris ſaxorum,vel in metallis ærarijs apparent,quos Chalcoſmaragdos nuncupant. Vi-

tioſi eorum intrinſecus quaſdam ſordes habent, vel plumbo, vel capillamentis, vel etiam ſali ſimiles. Lauantur ſauſtero mero, ſed viridi proficiunt oleo, quanuis natura imbuantnr. Et Cyaneus lapis è Scythia eſt optimus, ſi cæruleo coruſcabit, cuius gnari in marem & fœminam genus diuidunt. Fœminis nitor purus eſt. Mares punctulis ad gratiam interlucentibus auratilis puluiſculus variat. Illic & cryſtallus, quam licèt pars maior Europæ & particula Aſiæ ſubminiſtrent, pretioſiſſimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula deſtinatur, quamlibet nihil aliud quàm frigidum pati poſſit, Sexangulus t inuenitur. Qui eligũt, puriſſimum captant, ne quid rufum, néve nubilum, vel ſpumis obſitum arceat perſpicuitatem. Tunc ne duritia iuſto propenſior obnoxium fragilitati magis faciat, putant glaciem coire, & in cryſtallum corporari: ſed fruſtra. Nam ſi ita foret, nec Alabanda Aſiæ, nec Cyprus inſula hanc materiam procrearet, quibus regionibus u incitatiſſimus calor eſt. Liuia Auguſti ad magnitudinem c L. librarum inter capitolina donaria Cryſtallum dicauit.

IN CAP. XX. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Quidam libri habent *ſtatis temporibus*. Plinius autem lib. 8. cap. 22. Homines in lupos verti, rurſúmque reſtitui ſibi, falſum eſſe confidenter exiſtimare debemus, aut credere omnia quæ fabuloſa tot ſeculis comperimus. Et paulò pòſt: Mirum eſt quò procedat Græca credulitas: nullum tam impudens mendacium eſt, vt teſte careat.

b Virgil. 4. Æneid.

Creteſque, Driopeſque fremunt, pictique Agathyrſi. Apud hos

hos,vt Marcell.lib 22 refert,copia est adamantis lapidis.

c Lego,*vsque ad iugum mari imminẽs,quod*,&c. Pli.li.6.c. 17. Iterúmque deserta cum belluis,vsque ad iugum incumbens mari,quod vocant Tabin. Pomp. Mel.lib.3. cap.7. Vasta deinde iterum loca belluę infestant, vsque ad montem mari imminentem,nomine Tabin.

d Vel ab Albano flumine, quod per Albaniam decurrit. Plin.lib.6.cap.13.Flumina per Albaniam decurrunt in mare,Cassios,& Albanos.Iustinus lib.42.dicit eos ab Albano Italiæ monte nomẽ retinere,quòd inde Herculem cum extincto Geryone armenta eius per Italiam duceret, sequuti fuerint.His mos est pecunias cum demortuis defodere, nostris admodum contrarius.

e V.C.*nomina sua sequuntur,& recognoscunt.*

e Simile apud Val.Flac.6.

Caspiades,quis turba canum non segnius acres
Exilit ad lituos,pugnásque capescit heriles.

f Veteres libri habent,*corpora ipsa dentibus laneinare, ac pecudum cærnibus mista dapes facere.* Vide Herodot. in Melpẽ.

g Herodot.lib.1.& Eusebio lib.tempor. Ἀλυάττης est.Lege etiam Diog.Laert.in vitis Pittaci, & Biantis lib.1.

h Straboni lib.11.circa princ.Διοσκυρίας est. De aurigis ibidẽ ita scribit:Aiunt ab Iasonis expeditionePhthiotas Achæos Achaïam quæ isthic est,habitasse, Lacones Heuochiam: horum duces fuisie Rhecam & Amphistratum, aurigas castrorũ,vnde etiam genti nomen : est enim heuiorchus Græcis auriga.

i Quomodo Mithridates per annos quatuor insidias timens, venando se exercuerit,lege Iustinum lib.37.

k Pleraque exemplaria legunt, *Et qui originem Medis dederunt*.Inuerto autem cum Cl.D.Delrio, *& quibus originem Medi dederunt*.Plin.enim lib. 6, cap.7. in princip. Dein Tanain amnem, gemino ore influentem, incolunt Sarmatæ, Medorum(vt ferunt)soboles, & ipsi in multa genera diuisi. Primo Sauromatæ Gynęcocratumeni,vnde Amazonum cõnubia,&c.Notandum est Plinium in enumeratione illorum populorum,Turcarum facere mentionem.

l Plin.lib.6.cap.5.Ad hos(scilicet Sauromatas) confugerat Mithridates, Claudio Principe, narrauítque Thalos iis

esse confines, qui ab Oriente Caspij maris fauces attingerẽt: siccari eas æstu recedente.

m Quædam exemplaria *maciantur imbribus.* Sic etiam sub finem cap. 26. *macies aquarum* dicit.

n De amœnitate & fertilitate Araxis vide Appianum in Parthic. Herodot. in 1. Strab. 11.

o Scythica lingua *Arimâ* vnus, *Spu* autem oculus dicitur. Vide Herodot. in 4. Ex Plin. autem lib. 7. cap. 2. *Ges clithrum* scribendum. γῆς κλεῖθρον, orbis fera.

p Has alites veteres Picos dixerunt. Plaut. in Aululari. Pici diuitias. Vide Philostratum 3. & Pausan. in Attic.

q V.C. *ad venas.*

r Mardobeus:

Commodus iste lapis scrutantibus abdita fertur
Cùm præscire volunt, aut diuinare futura.
Auget opes idem, sese reuerenter habentes:
Omnibus in causis dans persuasoria verba,
Tanquam facundi vis sit sermonis in illo.

s Cl. D. Delrio scribit, *Laudantur asperi, & merè virides.* Quid si vero scribamus, *Laudentur austeri, & merè virides.* Plin. lib. 37. cap. 5. de hoc lapide: *Nullius maior austeritas est*, &c. Ibidem refert Plinius Theophrastum tradidisse, in Ægyptiorum commentariis reperiri, regi eorum à rege Babylonio missum smaragdum munere, quatuor cubitorum longitudine, & trium latitudine: & fuisse apud eos in Iouis delubro obeliscum è quatuor smaragdis, quadraginta cubitorum longitudine, latitudine verò in parte quatuor, in parte duorum.

t Plin. lib. 37. c. 5. Poliuntur omnes sexangula figura artificum ingeniis, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur: aliter enim politi non habent fulgoré eundem.

u V.C. *quibus admodum calor ingis est.* Diod. sub finem li. 3. inquit: Crystallus lapis ex aqua oritur pura, congelata, non quidem à frigore, sed à diuina caloris vi, quæ duritiem seruet, variósque colores suscipiat.

CAP.

CAP. XXI.

De Hyperboreis, & Rhiphæis, Cimmeriis, & Hyrcanis, & Tigribus, Leonibus, & Pantheris.

FAbula erat de Hyperboreis, & rumor irritus, si quæ illinc ad nos vsque fluxerunt, temerè forent credita. Sed cum probissimi authores, & satis idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet. De Hyperboreis rem loquemur. Incolunt penè Pterophoron, quem vltra Aquilonem accepimus iacere. Gens beatissima, eam Asiæ quidam magis, quàm Europæ dederunt. Alij statuunt mediam inter vtrumque solem, Antipodum occidentem, & nostrum renascentem quod aspernatur ratio, tam vasto mari duos orbeis interfluente. Sunt igitur in Europa apud quos mundi cardines esse credunt, & extimos syderum ambitus, semestrem lucem, auersum tantùm vna die solem: quanquam existant, qui putant non quotidie ibi solem, vt nobis, sed vernali æquinoctio exoriri, autumnali occidere: ita sex mẽsibus infinitum diem, sex alijs continuam esse noctem. De cœlo magnam clementiam auræ spirant salubriter, nihil noxij flatus habent. Domus sunt nemora, vel luci: in diem victum arbores subministrant. Discordiá nesciunt. Ægritudine non inquietantur. Ad innocentiam omnibus æquale votum. Mortem arcessunt, & voluntario interitu castigant obeũdi tarditatẽ. Quos [a] satietas tenet vitæ, epulati, delibutique, de rupe nota præcipitem casum in mare profundum destinant. hoc sepulturæ genus optimum arbitrãtur. Aiunt etiam solitos per virgines probatissimas primitias frugum Apollini

Delio missitare. Verùm hæ quoniam perfidia hospitum, non[b] illibatę reueniſſent, deuotionis, quam peregrè proſequebantur, pontificium mox intra fines ſuos receperunt. Altera in Aſia gens eſt ad initium orientis æſtiui, vbi deficiunt Rhiphæorum montium iuga, Hyperboreis ſimilis quos dicunt Arimphæos. Et ipſi arbuſtorum frondibus gaudent. Baccas edunt. Iuxta viros ac fœminas tædet criniũ. Itaque vterque ſexus comas tondet. Amant quieté, non amant lædere. Sacri habentur, attrectaríque eos, etiam à ferociſſimis nationibus nefas ducitur. Quicumque periculum à ſuis metuit, ſi ad Arimphæos transfugerit, tutus eſt, velut Aſylo tegatur.

Vltra hos Cimmerij, & gens Amazonum porrecta ad Caſpium mare, quod dilapſum per Aſiaticę plagæ terga, Scythicum irrumpit Oceanum. Sed magnis deinde ſpatijs intercedẽtibus oſtia Oxi fluminis Hyrcani habẽt,[c] gens ſyluis aſpera, copioſa immanibus feris, fœtáque tigribus. Quod beſtiarum genus inſignes maculis notæ, & pernicitas memorabile reddiderunt. Fuluo nitent: hoc fuluum nigrantibus ſegmentis interundatum, varietate apprimè decet. Pedum motum neſcio velocitas an peruicacia magis adiuuet. Nihil tam longum eſt, quod non breui penetrent: nihil adeo antecedit, quod non illico aſſequantur. At maximè potentia earum probatur cùm maternis curis incitantur, cũ catulorum inſiſtunt raptoribus. Succedant ſibi equites licèt, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne. Notantur frequentiſſimè ſiquando latrones ſuis aſportatis catulis renauigantes vident,

in-

in littore [e] irrita rabie se dare præcipites, velut propriam tarditatem volũtaria castigantes ruina: quáquam de fœtu vniuerso vix vnus queat subtrahi. Pátheræ quoque numerosæ sunt in Hircania, minutis orbiculis superpictæ, ita vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba distinguatur tergi supellex. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas persentiscant, properatò conuenire, nec terreri nisi sola oris toruitate. Quam ob causam [f] Páthere abscondito capitibus, quæ corporis reliqua sunt, spectanda præbent, vt pecuarios greges stupidos in obtutu populentur secura vastatione. Sed Hircani, vt hominibus intentatum nihil est, frequentiùs eas veneno, quàm ferro necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per compita spargunt semitarum. Quæ vbi esæ sunt, fauces earum angina obsidentur. Ideo gramen παρδαλιαγχὲς appellauerunt. Sed Pantheræ aduersus hoc virus excrementa humana deuorant, & suopte ingenio pesti resistunt. Lenta illis viuacitas, adeo vt eiectis interaneis, mortem diu differãt. In his syluestribus & Pardi sunt, secundum à Pantheris genus, noti satis, nec latiùs exequẽdi. [g] Quorum adulterinis coitibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, sed ignobiles.

IN CAP. XXI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

2 V. C. *Epulati, delibutíque erumpunt, & de rupe quadam præcipitem casum in maria destinant.* Plin. de iisdem lib 4. c. 12. Mors nonnisi satietate vitę, epulatis, delibutísque senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus: hoc genus sepulturę beatissimum.

b Vide Herodot.lib.4. qui eas in Delo defunctas ait, quarum monumentum intra Artemisium fuisse memoratur.

c Lucan lib.3. *--vastis Hyrcania syluis.*

d Cl.D.Delrio legit, *in littore irrita rabie cernuari.* Cernuari rectè interpretatur, vsque eò sæuire, donec se mortuas ad terram affligant, & calces, vt ait Persius, extendant, quam interpretationem confirmat Philostratus, illas tradens, ὡρύεσθαι πρὸς τῇ θαλάττῃ, καὶ ἐνίοτε ἀποθνήσκειν. Varro hoc vocabulo vsus est de ritu populi Romani, lib. 1. Etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant.

e Pantherarum abditio, in hypocritam, qui cùm sit nequissimus, sanctitatem simulat, suppresso aliquãtisper coram hominibus genio. Tales homines bene notandi, omnibus enim bonis sunt perniciosissimi. Plaut. Caprigenum hominũ non placet mihi, neque Pantherinum genus.

Graphicè Persius:

Obstipo capite, & figentes lumine terram
Murmura cùm secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Sed bene habet,

Quod videt hos omnis domus, & vicinia tota,
Introrsum turpes, speciosos pelle decora.

f Philostrat.lib.2. refert Leænas in amorem sui pardos trahere, eósque in Leonum cubilibus suscipere: vbi verò sese ex eorum coitu grauidas sentiant, in montes confugere, pardorum consuetudinem sequentes, parere autem masculosos catulos, & in densissimis syluis occultatos nutrire, simulantes se venationis causa à maritis abesse: Leones enim, si forte catulos viderint, lacerare, matrémque tanquam adulteram abigere.

CAP. XXXII.

De ortu marium internorum. De insula Apollinitarum. De spatiis inter Scythas & Indos. de formis hominum. De Ceruis, & Tragelaphis.

QVoniam in Ponticis rebus sumus, non erit, omittendum, vnde mediterranea maria caput tollant.

tollant. Existimant enim quidam sinus istos à Gaditano freto nasci, nec aliam esse originem, quàm inundationem irrupentis oceani, cuius spiritu peruagante apud aliquot mediterranea littora, sicut in Italiæ parte, fieri accessus, vel recessus. Qui contrarium sentiunt, omnem illum fluorem aiunt à Ponticis faucibus inundare, idque fulciunt argumento non inani, quòd æstus è Ponto profluus nunquam reciprocetur. [a] Insula Apollinitarum L X X X millibus passuum abest à Bosphoro Thraciæ citra Istrum sita, ex qua M. Lucullus Apollinem Capitolinum nobis extulit. Ante Borusthenem Achillis insula est, cum æde sacra, quam ædem nulla ingreditur ales: & quæ fortè [b] aduolauerint, raptim fugâ properant. Oceanum septentrionalem ex ea parte, qua à Paropaniso amne Scythiæ alluitur, Hecatæus Amalchium appellat, quod gentis illius lingua significat cõgelatum mare. Philemon à Cimbris ad promontorium Rubeas Morimarusâ dicit vocari, hoc est, mortuum mare. Vltra Rubeas quicquid est, Cronium nominant. Mare autem Caspium ex altero Ponti latere vltra Massagetas, & Apelæos Scythas, esse in Asiatica plaga dulce hausta, Alexandro Magno probatum est, mox Pompeio Magno, qui bello Mithridatico, sicut commilito eius Varro tradit, ipsis haustibus periclitari fidem voluit. Id euenire produnt è numero fluminum, quorum tanta copia ibi influit, vt naturam maris vertat. Non omiserim, quod per idem tempus eidem Magno licuit ex India diebus octo à Bactris vsque Icarum flumen, quod influit in Oxum amnem, peruenire, deinde ad mare Caspium, inde per Caspium ad Cy

ri amnis penetrare fluẽtum, qui Iberiæ & Armenię fines interluit. Itaque à Cyro diebus non ampliùs quinque itinere terreno ſubuectis nauibus ad alueum Phaſidis pertendi, per cuius excurſus in Pontum vſque [c] veniẽtes in India, liquidò probatum eſt inuehi poſſe. Auctor eſt Xenophon Lampſacenus, à littore Scytharum in inſulam Baltiam petentibus triduo nauigari, eius magnitudinem immenſam, & penè ſimilem continenti. Nec longè Oonas ſeparari, quas qui habent, viuunt ouis auium marinarum, & auenis vulgò naſcentibus. Deinde ſunt & aliæ propter cõſtitutæ inſulæ, quarum Hippopodes indigenæ humana vſque ad veſtigium forma in equinos pedes deſinunt. Eſſe inſulas, & [d] Phaniſiorum gentem, quorum aures adeo in effuſam magnitudinem dilatentur, vt viſcerum illi reliqua cõtegant, nec amiculum aliud ſit, quàm vt membra membranis veſtiant. Antequam digrediamur ab Scythia, religio eſt præterire quænam feræ ſint peculiares Scythiæ. Cerui plurimi in hac terra. Igitur de ceruis proſequamur. Mares generis huiuſce cùm ſtatutum tempus Venerem incitauit, ſæuiunt rabie libidinis efferati. Fœminæ licèt priùs conſerantur, non concipiunt [e] ante Arcturi ſydus. Nec qualibet partus ſuos educunt. Teneros ſtudiosè occulunt, & abſconditos inter profunda fruticum, vel herbarũ, pedum verbere caſtigant ad latendum. Cum maturuerit ad fugam robur, exercitio docent curſus, & aſſueſcunt ſalire per abrupta. Acceptis canum latratibus, ſecundo vento vias dirigunt, vt odor cum ipſis recedat. Mirãtur [f] ſibilium fiſtularum. Rectis auribus acutiſſimè audiunt, ſummiſſis verò nihil. Stupent

pent omnia, propterea faciliùs obuios se prębent sagittantibus. Si maria tranant, non aspectu petunt littora, sed olfactu. Infirmos ponunt in vltimo, & lassorum capita clunibus per vices sustinent. E cornibus quod dextrum fuerit, efficacius est ad medelá. Si fugare angues gestias, v trũ velis, vras. Quæ vstrna præterea nidore vitium aperit ac detegit si cui inest morbus comitialis. Pro ætate ramos augét. Id incrementum per sex annos perseuerat. Denique numerosiora non possunt fieri cornua, possunt crassiora. Quæ quidem castratis nunquam crescunt, nec tamen decidunt. Dentes indicant senectutem, cum aut pauci inueniuntur, aut nulli. Serpétes hauriunt, & spiritu narium extrahunt de latebris cauernarum. Dictamnum ipsi prodiderunt, dum eo pasti excutiunt accepta tela: herbam quoque quam Cynaren vocant, contra noxia edunt gramina. Aduersus venena mirificum est hinnulei coagulum occisi in matris vtero: patuit eos nunquam febrescere. Quam ob causam confecta ex medullis eorum vnguenta sedant calores hominum languentium. Legimus plurimos matutinis diebus ceruinam carnem degustare solitos, sine febribus longæuos fuisse. Quod demum proderit, si vno vulnere fuerint interempti. Ad dignoscendam viuacitatem Alexander Magnus torques plurimis ceruis & innexuit, qui post annum cẽtesimum capti, necdum senij indicium præferebant: Eadem penè specie sunt, quos Tragelaphos dicunt, sed non alibi, quàm circa Phasidem apparent, tantum quòd illi villosos habent armos, & menta promissis hirta barbis.

IN CAP. XXII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Strab.lib.7. Apollonia Milesiorum colonia, vrbs maiore sui parte condita est in parua quadam insula, vbi fanum est Apollinis, vnde M. Lucullus colossum Apollinis, opus Calamidis, sublatum in capitolio dedicauit. Vide etiam Appian. in fin. Illyr.

b Lucret.lib.6 refert loca quædam quæ sunt auibus cõtraria cunctis:

Nunc age auerna tibi, &c.

c V. optimus Codex, *In pontum vsque Indos aduehi liquidò probatum est.*

d Lego *Panotiorum.* Verbi enim etymologia docet, hos esse illos populos, quibus aurium magnitudo omne corpus contegat.

e Quod Auctore Plin.lib.2.cap.49. oritur x i. diebus ante Æquinoctium Autumni, videlicet vt Colum.cap.2. lib. 12. ait, viii. Cal. Octob.

f Vide Arist.lib.9.cap.5.de natur.anim.

g Refert Philostratus in princip.2. In Pãphilia panthe-rum capram, cuius collum torques circundabat cum hoc titulo, REX ARSACES DEO NISAEO. Regnabat autem temporibus illis Rex Arsaces in Armenia, qui feram reliquas magnitudine anteeuntem Baccho sacrauit.

CAP. XXIII.

De Germania, De auibus Hercynijs, Bisontibus, & Vris. De Alcibus, & insulis Oceani septentrionalis, ac de Succino, lapide Callaite, & Cerauniarum generibus.

MOns Seuo ipse ingens, nec Riphæis minor col libus, initiũ Germaniæ facit. hunc Ingeuones tenẽt, à quib⁹ primis post Scythas nomen Germanicum

cum consurgit. Diues virorum terra, frequens populis numerosis, & immanibus. Extenditur inter [a]Hercinium saltum & rupes Sarmatarum: vbi incipit, Danubio: vbi desinit, Rheno perfunditur. De internis eius partibus, Albis, Gutalus, Vistula, amneis altissimi præcipitatur in Oceanum. Saltus Hercynius aues gignit, quarum pennę per obscurum emicant, & interlucét, quanuis densa nox obtegat, & denset tenebras. Vnde homines loci illius plerumque nocturnos excursus sic destinant, vt illis vtantur ad præsidium itineris dirigendi, præiactisque per opaca cal lium, rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium. In hoc tractu sanè, & in omni septentrionali plaga Bisontes frequentissimi, qui bubus feris similes, setosi colla, iubas horridi, vltra tauros pernicitate vigentes, capti assuescere manu nequeunt. Sunt & Vri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos, cùm Bubali penè ad ceruinam faciem in Africa procreentur. Istis porrò quos Vros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, vt dempta ob insignem capacitatem inter regias mensas potuum gerula fiant. Est & Alces mulis comparanda adeo propenso labro superiore, vt nisi recedens in posteriora vestigia pasci nequeat. Scandinauia insula à regione Germaniæ mittit animal quale Alces, sed cui suffragines, vt elephantis, flecti nequeunt: propterea non cubat cum dormiendum est. Tamen somnolentum arbor sustinet, quæ [b] propè casura secatur, vt fera, dum assuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. Ita capitur: alioqui difficile est eam [c] manu capi. Nam in illo rigore poplitum incomprehensibili fuga pollet. De Germanicis insulis Scandinauia maxima est.

Sed nihil in ea magnum præter ipſam. Gleſſaria dat Cryſtallum, dat & Succinum, quod Germani gentiliter vocant Gleſſum. Qualitas materiæ iſtius ſummatim antea Germanico autem Cæſare omnes Germaniæ oras ſcrutante, cõperta arbor eſt pinei generis, cuius mediale autumni tempore ſuccino lacrymat Succum eſſe arboris, de nominis qualitate capeſſas. Pinũ verò, vnde ſit genitũ, ſi vſſeris, odor indicabit. Pretiũ operæ eſt ire longius, ne Padaneæ ſyluæ credantur lapidem fleuiſſe. Hanc ſpeciem in Illyricum barbari intulerunt. Quæ cum Pannonica commercia vſu ad Tranſpadanos homines foret delata, quòd ibi primùm noſtri eam viderant, ibi & natam putauerunt. Munere Neronis principis apparatus omnis ſuccino inornatus eſt, nec difficulter, cum per idem tempus XIII millia librarum Rex Germaniæ dono ei miſerit. Rude primum naſcitur & corticoſum, deinde incoctum adipe lactentis ſuis expolitur ad quem videmus nitorem. Pro facie habet nomina. Melleum dicitur, & Falernũ, vtrumque de ſimilitudine, aut vini, aut vtique mellis In aperto eſt, quòd rapiat folia, quòd trahat paleas quod verò medeatur multis vitalium incommodis, medentium docuit diſciplina Et India habet Succinum, ſed plurimum optimúmque in Germania. Quoniam ad inſulam Gleſſariam veneramus, à Succino cœptum. Nam in Germaniæ continentibus Callais reperitur, quã gẽmam Arabicis anteponunt. Vincit enim gratia. Arabes quidẽ dicũt non alibi eam deprehendi, quàm in nidis auium, quas μελαγκορύφους vocant: quod nullus recipit, cum apud Germaniæ populos, quamuis rara, in ſaxis tamẽ appareat. Honore & pretio ad Smaragdos

dos viret pallidum. Nihil iucũdius aurum decet. Cerauniorum porrò genera diuersa sunt. Germanicum candidum est: splendet tamen cæruleo: & si sub dnuo habeas, fulgorem rapit syderum.

IN CAP. XXIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a ἀπὸ τῦ ἐρκίυ, à circuitu: qualis autem ille sit, omnibus notum.

b V.C. quæ ad propè casuram secatur. Cæsar lib. 6. de bello Gallico, inciditur tantùm vt summa species eius stãtis relinquatur.

c V.C. *mancipari.*

d Plin. lib. 37. cap. 3. in principio medullam vocat.

e Claudian. —*Pyrenæisque sub antris*
Ignea fulmineis legêre Ceraunia Nymphæ.

Nomen habet à fulmine, quod κεραυνός dicitur.

Illis quippe locis quos constat fulmine tactos,
Iste lapis tantùm reperiri posse putatur.

Mardobæus post varias facultates enumeratas, subiicit:

Et dulces somnos, & dulcia somnia præstat.

CAP. XXIIII.

De Gallia, vnde in vniuersum orbem terrarum aditus patet. Et de oleo medico.

GAlliæ inter Rhenum & Pyrenæum, item inter Oceanum & monteis Gebennam ac Iuram porriguntur, felices præpinguibus glebis accómodæ prouẽtibus fructuarijs, pleræque cõsitæ vitibus & arbustis, omni ad vsum animantiũ fœtu beatissimæ. Riguæ aquis fluminum, & fõtium. Sed fontanis interdum sacris, ac vaporantibus. Infamantur vene-

ni periculo ritu incolarum ,qui , vt aiunt(veri enim periculum non ad me recipio)detestabili sacrorum ritu,non ad honorem,sed potius ad iniuriam religionis,humanis litant hostijs. Ex isto sinu quoquò orbis velis,exeas,in Hispanias,& in Italiam terra marique,in Africam mari tantùm.Si Thracia sit petẽda,excipit ager Rheticus opimus, & ferax,Briganti-no lacu nobilis. Inde Noricus frigidus,& parciùs fructuosus:quâ subducitur à iugis Alpium,admodũ lætus.Dehinc Pannonia viro fortis,& solo plano læta atque vber,Drauo,Sauoque inclytis amnibus circumfl ua.Mox Mysiæ,quas maiores nostri iure [a]Cereris horreum nominabant , in quarum parte quæ Pontica est,apparet herba, qua inficitur [b] oleum quod vocant medicum.Hoc ad incendium excitatũ si obruere aqua gestias,ardet magis,nec alio sopitur,quàm iactu pulueris.

IN CAP. XXIV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Vide Macrob.5.Saturn.& Virgil.1.Georg.

--hyberno lætißima puluere farra,
Lætus ager,nullo tantùm se Mysia cultu
Iactat,& ipsa suas mirantur Gargara messes.

b Interpres Dionysij:

Et Mysi Thracum Boreis,in finibus orti,
In quorum terris,quas Ponti perfluit vnda,
Ignipotens oleo commixto gignitur herba,
Medica cui nomen,cuius compescere flammas
Si quis aqua cupiat plus ignis pascit in illa,
Pulueris hunc iactus potis est extingere solus.

Similia tradit Plinius de Maltha,limo,& naphtha,bitumine, lib.2.cap.104.& 105.& lib.24.cap.17.

CAP.

CAP. XXV.

De Britannia, & lapide Satage.

FInis erat orbis ora Gallici littoris, nisi Britannia insula non qualibet amplitudine nomen penè orbis alterius mereretur. Octingentis [a] enim & amplius millibus passuum longa porrigitur, ita vt eam in Calydonicum vsque angulum metiamur. In quo recessu Vlyssem Calydoniæ appulsum manifestat ara Græcis literis inscripta voto. Multis insulis, nec ignobilibus circundatur, quarum Hybernia ei proximat magnitudine. Inhumana est, ritu incolarum aspero. Aliàs ita pabulosa, vt [b] pecuaria, nisi interdũ æstate à pastibus arceantur, in periculum agat satias. Illic nullus anguis, auis rara, gens inhospita, & bellicosa. Sanguine interemptorum hausto, prius victores vultus suos oblinunt. Fas ac nefas eodem animo ducunt. Puerpera liquando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os paruuli summo mucrone auspicium alimentorum leuiter infert, & gentilibus votis optat, non aliter quàm in bello, & inter arma mortem oppetat. Qui student cultui, dentibus mari nantium belluarum insigniũt ensium capulos. Candicant enim ad eburneam claritatem. Nam præcipua viris gloria est in armorum nitela. Apis nusquam. Aduectum inde puluerem, seu lapillos siquis sparserit inter aluearia, examina fauos deserunt. Mare, quod Hyberniam & Britanniam interluit, vndosum & inquietũ toto in anno, nõ nisi æstiuis pauculis diebus est nauigabile. Nauigant autem viminеis, alueis, quos circundant ambi-

tione tergorum bubalorum. Quantocumque tempore cursus tenebit, nauigantes escis abstinent. Freti latitudinem in centum viginti millia passuum diffundi, qui fidem ad verum ratiocinati sunt, æstimarunt. Siluram quoq; insulam ab ora quá gens Britána detinet, turbidum fretum distinguit. Cuius homines etiam nunc custodiunt morem vetustum. Nũdinas ac numum refutant, dant res, & accipiũt. Mutationibus necessaria potius quàm pretijs parant, deos percolunt, scientiam futurorum pariter viri ac fœminæ ostentant. Thanatis insula alluitur freto gallico à Britanniæ continente æstuario tenui separata, frumentarijs campis felix, & gleba vberi, nec tãtum sibi soli, verùm & alijs salubris locis. Nam cum ipsa nullo serpatur angue, asportata inde terra quoquò gentium inuecta sit, angues necat. Multæ & aliæ circum Britanniam insulæ, è quibus Thule vltima, in qua æstiuo solstitio sole de Cancri sydere faciente transitum nox penè nulla. Brumali solstitio perinde nullus dies, vt ortus iunctus sit occasui. Vltra Thulem accepimus pigrum esse & concretum mare: inde à Calydoniæ promontorio Thulen petentibus bidui nauigatio est. Inde excipiunt Hæbudes insulæ, quinque numero, quarum incolæ nesciunt fruges, piscibus tantùm & lacte viuunt. Rex vnus est vniuersis. Nam quotquot sunt, omnes angusta interluuie diuiduntur. Rex nihil suum habet, omnia vniuersorũ. ad æquitatem certis legibus stringitur. Ac ne auaritia diuertat à vero, discit paupertate iustitiam, vt pocui nihil sit rei familiaris. Verùm alitur è publico. nulla illi datur fœmina propria, sed per vicissitudines in quancunque commotus fuerit, vsurarium sumit.

mit. Vnde ei nec votum nec ſpes cõceditur liberorũ. Secundam à continenti ſtationẽ Orcades præbent, quæ ab Hæbudibus porro ſunt ſeptẽ dierũ, totidémque noctium curſu,[c] numero tres, vacant homine, non habent ſyluas, tantum iunceis herbis inhorreſcunt. Cætera earum nudæ arenæ & rupes tenent. Ab Orcadibus Thulen vſque quinque dierum ac noctiũ nauigatio eſt. Sed Thule larga & diutina Pomona copioſa eſt. Qui illic habitant, principio veris inter pecudes pabulis viuunt, deinde lacte, in hyemem congerunt arborum fructus. Vtuntur fœminis vulgo, certum matrimonium nullis. Circuitus Britanniæ quadragies octies ſeptuaginta quinque millia paſſuum ſunt. In quo ſpatio magna & multa flumina ſunt, fontes calidi opiparo[d] exculti apparatu ad vſus mortalium. Quibus fontibus præſul eſt Mineruæ numen, in cuius ęde perpetui ignes nunquam caneſcũt in fauillas, ſed vbi ignis tabuit, vertitur in globos ſaxeos. Præterea vt taceam metallorum largam variám que copiam, quibus Britanniæ ſolum vbique generũ pollet venis locupletibus, Gagates hic plurimus, optimúſque eſt lapis. Si decorem requiras, nigro gemmeus. ſi qualitatem, nullius ferè ponderis; ſi naturam, aqua ardet, oleo reſtinguitur. ſi poteſtatem, attritu calfactus applicita detinet, æquè vt Succinũ. Regioné partim tenét barbari, quibus per artifices[e] plagarum figuras, iam inde à pueris variæ animalium effigies incorporátur, inſcriptisque viſceribus hominis incremento pigmenti notæ creſcunt. Neque quiquam magis patientiæ loco nationes ferę ducunt, quàm vt per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant.

IN CAP. XXV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a MS. *Octingenta enim, & ampliùs millia passuum longæ detinet.*

b VC. *vt pecua nisi interdum à pascuis arceantur.* Nonius Marcell. Pecora & pecua scribit.

c Pomp. Mela lib. 3. cap. 6. XXX. & Plin. lib. 4. cap. 16. XL. Orchades ponit.

d Alia exemplaria, *exsculpti.*

e Propert. lib. 2. Eleg. 19.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludus & externa tincta nitore caput.

Martial. lib. 11.

Claudia cærulæis cùm sit Rufina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?

Claudian. Paneg. 2. de laud. Stilicon.

Inde Calidonio cælata Britannia monstro,
Ferro picta genas.

CAP. XXVI.

De Hispania, Gaditano freto, interno mari, & Oceano.

REuersum ad continentem res Hispanienses vocant. Terrarum plaga comparáda optimis, nulli [a] posthabenda frugum copia, siue soli vbere, siue vinearum prouentus respicere, siue arborarios velis. Omni materia affluit, quæcunque aut pretio ambitiosa est, aut vsu necessaria. Argentum vel aurum si requiras, habet, ferrarijs nũquam deficit, nec cedit vitibus, vincit olea, [b] diuidua est prouincijs tribus. Secũdo Punico bello nostra facta, & nihil in ea otiosum, nihil sterile. Quidquid cuiuscunque modi negat messẽ, viget

viget pabulis:etiam quę arida ſunt,ac ſterilia, rudétum materié nauticis ſubminiſtrát.Non [c] coquunt ibi ſales,ſed effodiunt, depurgant in minium nitelas pulueris,fucant vellera , vt ad ruborem mirum deputent Cocci venenum.In [d] Luſitania promontorium eſt,quod alij Artabrum,alij Vlyſſipponenſe dicunt.Hoc cælum terras,& maria diſtinguit.Hiſpanię latus finit cœlum,& maria hoc modo diuidit quòd à circuitu eius incipiunt Oceanus gallicus,& frons ſeptentrionalis Oceano Atlantico,& occaſu terminatis.Ibi oppidum Vlyſſippo ab Vlyſſe conditum.Ibi Tagus flumen.Tagus flumen Tagum ob arenas auriferas cęteris amnibus prætulerunt.In proximis Vlyſſipponis equæ laſciuiunt mira fœcunditate.Nam ſpirante Fauonio vento concipiunt,& ſitientes viros aurarū ſpiritu maritantur.Iberus amnis toti Hiſpaniæ nomen dedit.Bætis prouinciæ vterque nobilis.Carthaginem apud Iberos,quæ mox Colonia facta eſt, Pœni condiderunt.Tarraconem Scipiones,ideo caput eſt prouinciæ Tarraconenſis. Luſitanum littus pollet gemma ceraunio plurimū, quam etiam Indicis pręferunt:huius ceraunię color eſt è Pyropo: qualitas igni probatur , quem ſi ſine detrimēto ſui perferat, aduerſus vim fulgurum creditur opitulari.Caſſiterides inſulæ ſpectant aduerſū Celtiberiæ latus,plumbi fertiles:& tres Fortunatæ, è quibus ſolum vocabulum ſignandum fuit.Ebuſus è Balearibus,quæ à Dianio abeſt ſeptinginta ſtadia, ſerpentem non habet ,vtpote cuius terra ſerpentes fuget.Colubraria,quæ Sucronem verſus eſt,fœta eſt anguibus.Bocchoris regnum Baleares fuerunt,vſque ad euerſionem Phrygum ,& Cuniculis animalibus quondá copioſæ in capite Bæticæ,vbi extremus eſt

noti orbis terminus, insula à continenti septingẽtis passibus separatur: quam Tyrij à rubro profecti mari, Erythræam. Pœni lingua sua Gardir, id est Sepem nominarunt. In hac Geryonem æuum agitauisse plurimis monimentis probatur, tametsi quidam putent Herculem boues ex alia insula abduxisse, quæ Lusitaniam contuetur. Se Gaditanum fretum a Gadibus dictum, Atlãticus æstus in nostrum mare dissidium orbis immittit. Nã ὠκεανὸς, quem Græci sic nominãt à celeritate, ab occasu solis irrumpens, læuo latere Europam radit, Africam dextro, scissisque Calpe & Abila montibus, quos dicunt columnas Herculis, inter Mauros funditur, & Hispaniam. Ac freto isti, cuius xv millia passuum efficit lõgitudo, latitudo vix septem, quodam ostio aperit limen interni æquoris mistus mediterraneis finibus, quos ad vsque orientem propellit. Horum, qui Hispanias perfundit, Ibericus fertur, & Balearicus. Qui Narbonensem prouinciam, Gallicus, mox Ligusticus, ab eo ad Siciliam Thuscus, quem Græci Ionium fvel Tyrrhenum, Itali inferum vocant. A Sicilia Cretam vsque Siculus. Inde Creticus, qui in Pampyliam & Ægyptum prętendit. Quæ aquarum moles torto in septentrionem priùs latere, anfractibus magnis iuxta Græcias & Illyricum per Hellespontum in angustias stringitur Propontidos, quę Propontis Europam Asiámque discriminans, ad Męotida peruenit. Causas nominum non vniformis dedit ratio. Asiaticum & Phœnicium à prouincijs dictum, ab insulis Carpathium, Ægeũ, Icarium, Balearicum, Cyprium: à gentibus Ausoniũ, Dalmaticũ, Lygusticũ, Thuscũ: ab oppidis Adriaticũ, Argolicũ, Corinthiũ, Tyrium: à casibus hominũ

Myrtoum

Myrtomu,vel Helleſponticū. A memoria regis Ionium.A bouis tranſitu,vel anguſtijs etiam meatibus boum peruijs Boſphorus.A moribus accolarum Euxinus,ξάξενος ante appellatus.Ab ordine fluenti, Propontis.Ægyptium Pelagus Aſiæ datur,Gallicum Europæ, Africum Libyæ: his vt quæque proxima ſunt,venerūt in partes partium.Hæc in gremijs terrarum.Oras autem extimas Oceanus amplectitur, qui àlittoribus ſuisArabicus,Perſicus,Indicus,Eous, Sericus,Hyrcanus,Caſpius,Scythicus, Germanicus, Gallicus,Atláticus, Lybicus,Ægyptius dicitur. Cuius acceſſus incrementa circa littora Indiæ vehemētiſſimè proruunt,maximóſq; ibi exitus faciunt,ſiue ꝙ impenſiùs ſuſtollatur vi caloris, ſeu ꝙ in eapartе orbis & fontium & fluminum copia ſit effuſior. Dubitatur etiam nunc quibus ex cauſis iutumeſcat oceanus,vel quatenus,cum ſuperfluus ſibi fuerit, rurſus in ſe recidat.Nec in obſcuro eſt,plura pro ingenijs diſſerentium,potius quàm pro veritatis fide expreſſa.Sed omiſſa ancipiti concurrentium quæſtionum ambage has opiniones probatiſſimas inuenimus.Phyſici [b] autumant mundum animal eſſe, eūque ex varijs elementorum corporibus conglobatū, moueri ſpiritu,regi mente:quæ vtraque diffuſa per membra omnia,æternæ molis vigorem exerceant. Sicut ergo in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritalia,ita in profūdis oceani nares quaſdam mūdi cōſtitutas, per quas emiſſi anhelitus vel reducti, modò efflent maria,modò reuocent.At ij qui ſyderum ſequuntur diſciplinam,contendunt meatus iſtos commoueri [i] Lunæ curſibus,adeo vt ſic viciſſitudines inter maciem aquarum,& plenitudinem

respiciant, adauctus eius, vel [k] defectiones. Neque eodem semper tempore, sed prout illa aut merga-tur, aut surgat, variant se alternantes recursus.

IN CAP. XXVI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a MS. *Nullis posthabenda frugis & soli copia, siue vinearios prouentus, siue arborarios velis.*

b Bæticæ, Lusitaniæ, Tarraconensi.

c Plin. lib. 31. cap. 7. Sunt & montes natiui salis, vt in Indis Oromenus, in quo lapidicinarum modo creditur renascens: maiúsque regum vectigal ex eo est, quàm ex auro atq; margaritis. Et paulo pòst: Carrhis Arabiæ oppido muros domósque massis salis faciunt, aqua ferruminantes.

d Inter cæteros Bacchi comites, vt Plin. lib. 3. cap. 1. ex Varronis refert sententia, Lusus vel Lyssa fuit, cuius nomen regioni adhæsit.

e Celeberrimus D. Camers *frugum* legit. Plin. lib. 3. c. 5. Nec cuniculos Ebusus gignit popũlantes Balearium messes. Et lib. 8. c. 26. A cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia, ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolæ à muribus fugati, in Italia Amyclæ à serpentibus deleti.

f Plin. lib. 3. c. 5. non *Ionium*, sed *Notium* habet, inquiens, Ab eo, scilicet Ligustino, ad Siciliam insulam, Tuscum: quod ex Græcis alij Notium, alij Tyrrhenum, : è nostris plurimi inferum vocant.

g Ouid. 4. Tristium:

Dictus ab ántiquis Axinus ille fuit.

h Vide Lactant. cap. 6. lib. 2. Laert. lib. 7. in vita Zenon. Cic. 2. de natur. Deor.

i Macrob. 1. de somnio Scip.

k Plurima vetusta exemplaria habent *eliquia*, id est defectus, à verbo Eliquo, quod defluo significat.

CAP.

CAP. XXVII.

De Libya, hortis Hesperidum, monte Atlante.

DE Hispania excursus in Libyam. Nam Belone progressos, quod Bæticæ oppidum est, vltra interiacens fretum trium & triginta [a] millium passuum Tingi excipit Mauritaniæ nunc colonia, & cuius primus author Anteus fuit. Porrò quia in illo ambitu Ægyptium finitur pelagus, & Libycum incipit, placuit vt Africam Libyam diceremus. Quidã tamen [b] Libyam à Libya Epaphi filia, Africam autem ab Afro [c] Libys Herculis filio potius dictam receperunt. Lix quoque colonia in eodem tractu constituta est, vbi Antei regia, qui [d] implicandis explicandisque nexibus humi meliùs sciens, velut genitus matre terra, ibidem ab Hercule victus & extinctus est. Nam de hortis Hesperidum, & peruigili dracone, ne famæ licentia vulneretur, fides & ratio hæc est. Flexuoso meatu æstuarium è mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur. Itaq; quod hortos appellauere, circũdat. Vnde pomorum custodem interpretantes, struxerunt iter ad mendacium fabulandi. Sed hæc insula sinuata sinibus aluei procurrentis, & in quibusdam æquoris spiris sita, præter arbores oleastri similes, & aram sacram Herculi, aliud nihil præfert quod propaget vetustatis memoriam. Verum vltra frutices aureos, & metalla frondétia, illud magis mirum, quod solum inferiore licèt libra depressius, nunquã tamẽ accessu freti superlabitur, sed obstaculo naturalis repaguli in ipsis marginibus hæret vnda, & intimis orarum superci-

lijs sponte fluctus ingruentes sistuntur: vt spectando nimirum ingenio loci, planicies manet sicca, quáuis prona superueniant æquora. Sala oppidum imminet Salæ flumini, ab hoc per Autololum gentem iter est in Atlanticas solitudines. Atlas mons è media arenarum consurgens vastitate, & eductus in vicinam lunaris circuli, vltra nubila caput condit, quà ad oceanum extenditur, cui à se nomen dedit. Vacat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur, squalet ieiunio, humo nuda, nec herbida. Quà Africam contra versus est, opimus nascentibus sponte frugibus, arboribus proceris opacissimus, quarum odor grauis, comæ cupressi similes, vestiuntur lanugine, sericis velleribus nihilo viliore. In eo latere & herba Euphorbia copiosa, cuius succus proficit ad ocularíam claritatem, & multiplex præsidium sanitatis, nec mediocriter percellit vim venenorum. Vertex semper niualis. Saltus eius quadrupedes, ac serpentes feræ, & cũ his elephanti occupauerunt. Silet per diem vniuersus, nec sine horrore secretus est. Lucet nocturnis ignibus, choris Aegipanum vndiq; personatur. Audiuntur & cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam. A Lixa abest quinque & ducentis millibus passuum. Lix à Gaditano freto centum duodecim millibus, habitatus antea, vt indicat loci facies. quondam cultu exercita, in qua vsque adhuc vitis & palmæ extant vestigia. Apex Perseo & Herculi peruius, cæteris inaccessus. Ita fidem atarum inscriptio palàm facit. Quâ spectat occasum, inter ipsum & flumen. Anatim quadraginta nonaginta sex millia passuum infames bestijs syluæ obsident. Amnes circa eum non tacendi, qui licèt separétur interuallis amplioribus,

transierunt

transierunt tamen in quoddam Atlantici montis ministerium. Asana marino haustu ,Bambothum Crocodilis & Hippopotamis refertum. Vltra adhuc amnis qui atro colore exit per intimas & exustas solitudines,quæ torrente perpetuo ,& sole nimio,plus quàm ignito,nunquam ab æstu vindicatur.Hæc de Atlante,quem Mauri Dyrin nominant,& Hannonis Punici libri,& nostri annales prodiderunt,Iuba etiá Ptolomæi Pater qui vtriusque Mauritaniæ regno potitus est.Suetonius quoque Paulinus summam huic cognitioni imposuit manum,qui vltra Atlantem primus ,& penè solus Romana signa circuntulit.

IN CAP. XXVII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Hactenus de Europa:sequitur Africa. Martianus autẽ & Antoninus CCXX.stadiorum esse ait.

b Ioseph.lib.1.cap.12.Antiquitat. ait ex Cham Noæ filio natum Misrai,cuius filius Lybus fuit, à quo Lybia denominata.

c Ioseph.lib.1.c.23.tradit Abraham ex Cethusa coniuge genuisse filios sex,quorum vnus Afer dictus est , qui castra fixit in Lybia.

d Vide Fulgentium lib.2.Mytholog.

e V.C.vt & Plin.lib.5.cap 1.habet CCCCLXXV.M.pass.

CAP. XXVIII.

De Mauritania,de Elephantis.

EProuincijs Mauritanijs Tingitana, quà Solstitiali plagæ obuia est , quáque porrigitur ad internum mare , exurgit montibus septem , qui à dissimilitudine fratres [a] appellati,freto imminent.Hi

mo ntes elephantis frequentiſſimi ſunt. Monet à principio hoc animantium genus dicere. Igitur elephanti iuxta ſenſum humanum, intellectum habent, memoria pollent, ſyderũ ſeruant diſciplinam. Luna nitеſcente gregatim amnes petunt, mox aſperſi liquore, ſolis exortũ motibus, quibus poſſunt, ſalutant: deinde in ſaltus reuertuntur. Duo [b] eorum genera ſunt. Nobiliores indicat magnitudo, minores nothos dicunt. Candore dentium intelligitur iuuenta. Quorum alter ſemper in miniſterio eſt, alteri parcitur, ne hebetatus aſſiduo repercuſſu, minùs vigeat, ſi fuerit dimicandum. Cum venatu premuntur, pariter confringunt vtroſque, vt ebore damnato non requirantur. Hanc enim ſibi cauſam periculi præſentiunt. Oberrant agminatim. Natu maximus ducit agmen, ætate proximus cogit ſequentes. Flumen tranſituri, minimos antemittunt, ne maiorum ingreſſus alueum atterát, & profundos depreſſis vadis gurgites faciant. Venerem ante annos *decem* fœminæ, ante quinque mares neſciunt. Biennio coeunt, quinis nec amplius in anno diebus, non prius ad gregarium numerum reuerſuri, quàm viuis aquis abluantur. Propter fœminas nunquam dimicant. Nulla enim nouerunt adulteria. Ineſt illis clementię bonum. Quippe ſi per deſerta vagabundum hominem fortè viderint, ductus vſque ad notas vias præbent, vel ſi confertis pecoribus occurſitent, itinera ſibi blanda & placida manu faciunt, ne quod obuiũ animal interimant. At conflictu fortuito ſiquando pugnatur, non mediocrem habent curam ſauciorũ. Nam feſſos vulneratósque in medium receptant. Cùm captiuitate venerint in manus hominũ, mã-

ſueſcunt

sueſcunt hauſto ordei ſucco. Maria trauſmeaturi, naues non priùs ſubeunt, quàm de reditu illis ſacramentum luatur. Indicos elephantos Mauri timent, & quaſi paruitatis ſuæ conſcij aſpernãtur ab his videri. Non annis decem, vt [c] vulgus, ſed biennio, vt Ariſtoteles definit, vtero graueſcunt, nec ampliùs quàm ſemel gignunt, nec plures quàm ſingulos. Viuunt in [d] annos trecentos, impatientiſſimi frigoris. truncos edunt, lapides hauriũt, gratiſſimas in cibatu palmas habent. Odorem muris vel maximè fugiunt. Pabula etiam quæ à muſculis contacta ſunt, recuſant. Si quis caſu Chamæleõtem deuorauerit, vermẽ elephantis veneficum, oleaſtro ſũpto peſti medetur. Duriſſimum dorſo tergus eſt, ventri mollius. Setarũ hirſutię nullę. Inter hos [e] & dracones iugis diſcordia. Denique inſidiæ hoc aſtu præparantur: ſerpentes propter ſemitas deliteſcunt, per quas elephanti aſſuetis callibus euagantur, atque ita prætermiſſis prioribus poſtremos adoriuntur, ne qui anteceſſerint, valeant vltimis opitulari. Ac primùm pedes nodis illigant, vt laqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem. Nam elephanti niſi prẹuenti hac ſpirarum mora, vel arboribus ſe, vel ſaxis applicant, vt pondere nitibundo atrritos necent angues. Dimicationis præcipua cauſa eſt, quòd elephantis, vt aiunt frigidior ineſt ſanguis: & ob id à draconibus auidiſſimo torrente captantur æſtu. Denique nunquam inuadunt niſi potu grauatos, vt venis propenſiùs irrigatis maiorem ſumãt de oppreſſis ſatietatẽ. Nec aliud magis quàm oculos petũt, quos ſolos expugnabiles ſciunt vel interiora aurium, quia is tantùm locus defendi non poteſt proboſcide. Itaque

cum ebiberint ſanguinem, dum ruunt belluæ, dracones obruuntur. Sic vtrinque fuſus cruor terram imbuit, fitque pigmentum quicquid ſoli tinxerit, quod Cinnabarim vocant. Elephantes Italia anno vrbis conditæ quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo in Lucanis primum bello Epirotico vidit, & Boues lucas inde dixit. Cæſarienſi Coloniæ Cæſaria ineſt à D. Claudio deducta, f Bocchi prius regia, poſtmodum Iubæ indulgentia populi Romani dono data. Ineſt & oppidum Siga, quod habitaculum Siphaci g fuit. Nec ab Icoſio taciti recedamus. Hercule enim illac tranſeunte, viginti, qui à comitatu eius deſciuerant, locum deligunt, iaciunt mœnia. Ac nequis impoſito à ſe nomine priuatim gloriaretur. de condentium numero vrbi nomen datum.

IN CAP. XXVIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Ptol. lib. 4. c. 1. Hepta delphos vocat.

b Philoſtrat. lib. 2. Tria genera facit, alios paluſtres, qui dementes, & leues: alios montanos, inſidioſos, & campeſtres, manſuetos.

c Plaut. in Sticho:

Audiui ſæpe hoc vulgò multis dicier ſolere
Elephantem grauidam perpetuos decem eſſe annos.

d Scribit Philoſtratus Apollonium inueniſſe apud vrbẽ Taxillum Indię maximam, Elephantem, quem vittis & myrteis coronis indigenę ornabant. Eum homines regionis illius, ex iis vnum eſſe aiebant, qui pro Rege Poro contra Alexandrum pugnauerat, quem propterea quòd in pugna prõptiſſimè pugnaſſe ferebatur, Alexander Soli dicauit, torques aureos circa cornua adaptans. In torquibus autem Græcis literis hanc fermè ſententiam inſcriptam dicunt: ALEXANDER IOVIS FILIVS AIACEM SOLI: (id enim elephanto nomen erat.) Et coniiciunt indigenæ annos ſupra CCC. ab ea quam diximus pugna, ad ea tempora interceſ-

terceſſiſſe,cùm tamen ſciri non poſſit,quot fuerit natus annos,quando pugnæ interfuit.

e Diodor.lib.4. poſt prncip.

f De Boccho rege Maurorum Liu.lib.66. Salluſt. in Iugurth.Plutarch.in Mario,Silius in 3.atrocem vocat, quod Iugurtham prodiderit,& vinctum Syllæ tradiderit.

g De Siphace Numidiæ rege,Liu.20.& 30.Salluſt.in Iugurth. Florus cap.6.l.2. Hic quoniam ictum cum Romanis fœdus fregit,& Carthaginenſibus adhæſit,victus tandem, & à Pub.Scipione vita functus in triumpho ductus eſt.

CAP. XXIX

De Numidia, & in ea Vrſis.

QVod eſt à flumine Ampſaga,Numidiæ datur. huius incolæ quandiu errarũt pabulationibus vagabundis,Nomades dicti ſunt.Vrbes in ea quamplurimæ,nobileſque,ſed Cirta [a] eminet,dein Cullu purpurario fuco Tyrijs velleribus comparata.Omnis hæc regio finibus in Zeugitanum limitem deſinit.Qua parte ſylueſtris eſt, feras educat: quà iugis ardua,equos alit,eximio etiam marmore prædicatur.Numidici vrſi forma cæteris præſtant,rabie dũtaxat & villis profundioribus.Nam genitura par eſt quocquo loco editis,eam protinus dixero. Coëunt non itidem quo quadrupedes aliæ,ſed apti amplexibus mutuis , velut humanis coniugationibus copulantur.Deſyderium veneris hyems ſuſcitat: ſecreti honore reuerentur mares grauidas, & in ijſdem licèt foueis,partitis tamẽ per ſcrobes ſecubationibus diuidũtur.Lucinæ illis properatius tempus eſt.quippe vterum trigeſimus dies liberat: vnde euenit,vt præcipitata fœcunditas,informes creet partus.Carnes pauxillulas edunt,quibus color candidus,oculi

nulli,& de festina immaturitate tantùm rudis sanies,exceptis vnguium lineamentis:has lambendo sensim figurant,& interdum ad pectora fouent, vt assiduo incubatu calfactæ animalem trahant spiritũ. Interea cibus nullus. Sanè diebus primis XIIII. matres in sommum ita concidunt,vt nec vulneribus excitari queant.Enixæ quaternis latent mensibus.Mox egressæ in diem liberum ,tantam patiuntur insolentiam lucis,vt putes obsitas cæcitate.Inualidum vrsis caput,vis maxima in brachijs,& lũbis:vnde interdum posticis pedibus insistunt, insidiantur aluearibus,apum maximè fauos appetũt,nec auidius aliud quàm mella captant. Cum gustauére mandragoræ mala,moriuntur.Sed eunt obuiam,ne malum in perniciem conualescat,& formicas deuorant ad recuperandam sanitatem. Siquando tauros adoriuntur,sciunt quibus potissimùm in partibus immorentur , nec aliud quàm cornua aut nares petunt:cornua vt pondere defatigent : nares , vt actior dolor sit in loco teneriore.[b] M. Messalla COSS. Domitius Ænobarbus Curulis Ædilis vrsos Numidicos centum,& totidem Æthiopas venatores in circo Romano edidit.Idque spectaculum inter memorabiles titulos annotatur.

IN CAP. XXIX. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Strabo lib.17.Cirta Masinissæ,& successorum regia est in mediterraneis,vrbs munitissima,& optimè omnibus rebus instructa,maximè à Micipsa, qui & Græcos in eam habitatũ deduxit:& tantam effecit,vt decem equitum millia,peditum xx.emitteret.

b Dio, Cassiodor, & Plin.lib.8.cap. 36. Collegam addit M.Pulpium Pisonem.

CAP. XXX.

De Africa, & de omnibus in ea memoriadignis.

OMnis Africa à Zeugitano pede incipit, promotorio Apollinis Sardiniæ controuersa, promotorio Mercurij procedens in frontem Sicanam. Proinde extenta in duas prominentias, quarum altera promontorium candidum dicitur: alteram, quæ est in Cyrenaica regione, Phicuntem vocant. Ea per sinum Creticum opposita Cretæ insulæ, contra Tænaron Laconicæ excurrit arenis. Catabathmos Ægypto insinuata, cui proxima Cyrenensis extenditur inter duas syrtes, quas inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit, cuius sali defectus vel incrementa haud promptum est deprehendere. Ita incertis motibus nunc in breuia rescinditur dorsuosa, nunc æstibus innundatur inquietis. Varro author est, perflabilem ibi terram ventis penetrantibus, subitam vim spiritus citissimi aut remouere maria, aut resorbere. Omnis hæc plaga ab Æthiopia, & terminis Asiæ, Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hispania freto scinditur: latere, quo ad meridiem vergit, fontium inops, [a] & infamis siti: altrinsecus quâ septentrionem pari tur, aquarum larga in agro Byzacæno, qui patet passuum ducentis vel ampliùs millibus, glebis ita præpinguibus, vt iacta ibi semina cum incremento centesimæ frugis renascantur. Externos in ea plurimos conuentasse, argumentum de vrbibus & locis dabimus. Borion promontorium quod Aquilone cæditur, Græci aduenæ sic vocauerunt. Hipponem, Rhegium postea dictum, ité Hipponem alterum de interfluente freto Diarrhyton

nuncupatum,nobiliſſima oppida,equites Græci cõ-
diderunt.Clypeam ciuitatem Siculi extruunt,& Aſ-
pida primùm nominant,Veneriam etiam ,in quam
Veneris Erycinæ religiones tranſtulerunt. Achæi
Tripolin lingua ſua ſignãt de trium vrbium nume-
ro, Oeæ,Sabrata, Leptis Magnæ.Philænis fratribus
à laudis cupidine Graium vocamen datum. Adry-
meto atque Carthagini author eſt à Tyro populus.
Sed quæ ſuper Carthagine veraces libri prodiderũt,
hoc loco reddam. Vrbem iſtam,vt Cato in oratione
Senatoria autumat ,cùm rex Hiarbas rerũ in Libya
potiretur , Eliſſa mulier extruxit , domo Phœnix,&
Carthadam dixit ,quod Phœnicum ore exprimit ci-
uitatem nouam.Mox ſermone verſo in verbum Pu-
nicum,& hæc Eliſſa,& illa Carthago dicta eſt.Quæ
poſta annos [b] ſeptingẽtos triginta ſeptem exciditur,
quàm fuerat extructa.Deinde à C.Graccho colonis
Italicis data,& Iunonia ab eo dicta ,aliquantiſper i-
gnobilis,humili & languido ſtatu. Demum in *cla-*
ritatem ſecundæ Carthaginis,interiectis centum &
duobus annis,M.Antonio,P.Dolobella cõſulibus e-
nituit, alterum poſt vrbem Romam terrarum de-
cus.Verùm vt ad Africam redeamus , ipſa ſuo cin-
gitur angulo.Interna eius plurimæ quidem beſtiæ,
ſed principaliter Leones tenent.Qui , vt Ariſtoteles
perhibet,ſoli ex eo genere quod aentatum vocant,
vident protinus atque naſcuntur: quorum trifarium
genus ſcinditur.Nam breuiores,& iubis criſpi , ple-
runque ignaui ſunt,& imbelles.Longiores,& coma
ſimplici,acres magis,ac potentes.At hi quos creant
Pardi,in plebe remanent,iubarum inopes. Pariter
omnes parcũt à ſagina , primùm quòd alternis die-
bus

bus potum, alternis cibum capiunt, ac frequenter si concoctio non est insecuta, solitæ cibationi superponunt diem; tum quòd carnes iusto amplius deuoratas, cum grauantur, insertis in ora vnguibus spōte protrahunt. Sanè & cum fugiendum est, in satietate idem faciunt. Senectam defectio probat dentium. Nam clementiæ indicia multa sunt. Prostratis parcunt, in viros potius quàm in fœminas sæuiunt. Infantes non nisi in magna fame perimunt. Nec à misericordia separantur. Assiduis denique exemplis patet eos peperciſſe, cùm multi captiuorum aliquot Leonibus obuijs intacti repatriauerint. Gætulæ etiã mulieris nomen Iubæ libris comprehensum est, quæ obtestata occurſantes feras, impunis redijt. Auersi coëunt, nec hi tantùm, sed & Lynces, & Cameli, & Elephanti, & Rhinocerotes, & Tigrides. Leęnæ fœtu primo catulos quinque [d] edunt: deinde per singulos partus numerum decoquunt annis insequentibus: sed postremò cùm ad vnum materna fœcũditas recidit, vt vltimò singulos procreent, steriles fiunt in ęternum. Animos Leonum frons & cauda indicant, sicut motus equini de naribus intelliguntur. Dedit enim has duas notas generosissimo cuique natura. Vis sũma in pectore est, firmitas in capite præcipua. Cum premuntur à canibus, contemptim recedunt, subsistentéſque interdum ancipiti recessu dissimulant timorem. Idque agunt, si in campis patentibus ac nudis vrgeantur. Nam syluestribus locis, quasi testem ignauiæ non reformidantes, quanta possunt se fuga subtrahunt. Cum insequuntur, nisum saltu adiuuant. Cum fugiunt, non valent salire. Gradientes mucrones vnguium vaginis corporum claudũt,

ne acumina attritu retundantur. Hoc adeo cuſtodiunt, vt non niſi auerſis faculis currant. Septi à venantibus, obtutu terram contuentur, quo minùs conſpectis venabulis terreantur. Nunquam limò vident, miniméque ſe volunt aſpici. Cantus gallinaceorum & rotarum timent ſtrepitus, ſed ignes magis. Leontophonos vocari accepimus beſtias modicas, quæ captæ exuruntur, vt earum cineris aſpergine carnes pollutæ, iactæque per compita concurrentium ſemitarum Leones necent, ſi quantulumcũque ex illis ſumpſerint. Propterea Leones naturali eas premunt odio, atque vbi facultas data eſt, morſu quidé abſtinent, ſed dilaniatas exanimant pedum niſibus. Spectaculum ex his primus Romæ edidit Scæuola Publij filius in curuli ædilitate. Hyænam quoque mittit Africa, cui cùm ſpina riget, collum continua vnitate flecti nequit, niſi toto corpore circumacto. Multa de ea mira. Primũ, quòd ſequitur ſtabula paſtorum, & auditu aſſiduo addiſcit vocamen, *quod* exprimere poſſit imitatione vocis humanę, vt in hominem aſtu accitum nocte ſæuiat. Vomitus quoque humanos mentitur, falſiſque ſingultibus ſollicitatos ſic canes deuorat. Qui fortè ſi venantes vmbram eius dum ſequuntur contigerint, latrare nequeunt, voce perdita. Eadem hyæna inquiſitione corporum ſepultorum buſta eruit, propterea promptius eſt marem capere. Fœminis enim ingenita eſt callidior aſtutia. Varietas multiplex ineſt oculis, colorum mutatio. In quorum pupillis lapis inuenitur, Hyænium dicunt, præditum illa poteſtate, vt cuius hominis fuerit linguæ ſubditus, prædicat futura. Verũ Hyæna quodcunque animal ter luſtrauerit, mouere

ſe

se non potest. Quapropter magicam scientiam inesse ei pronuntiauerunt. In Æthiopiæ parte coit cum leæna, vnde nascitur monstrum cui Crocottæ nomen est. Voces hominum & ipsa pariter affectat. Numquam conniuet aciem orbium, sed in obtutū sine nictatione contendit. In ore gingiua nulla, dens vnus, atque perpetuus, qui vt nunquam retundatur, naturaliter capsularum modo clauditur. Inter ea quę dicunt herbatica, eadem Africa [e] Onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum. Æmulos libidinis suæ metuunt. Inde est quòd grauidas suas seruant, vt in editis maribus, si qua facultas fuerit, generandi spem morsu detrūcét. Quod cauentes fœminæ, in secessibus partus oculunt. Africa serpentibus adeo fœcunda est, vt mali huius meritò illi potissimùm palma detur. Ceraſtæ præferunt quadrigemina cornicula, quorum ostentatione, veluti esca illice, solicitatas aues perimunt. Nam reliqua corporis de industria arenis tegunt, nec vllum indicium sui præbent, nisi ex ea parte, qua inuitatis dolo pastibus necem præpetum aucupentur. Amphisbæna [f] consurgit in caput geminum, quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte, qua cauda. Quæ causa efficit, vt capite vtrinque secus nitibundo serpat tractibus orbiculatis. Iaculi arbores subeūt, è quibus vi maxima turbinati, penetrant animal quodcunque obuium fortuna fecerit. [g] Scytale tanta præfulget tergi varietate, vt notarū gratia videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes. In hoc tamen squamarum nitore hyemales exuuias prima ponit. Plures diuersæque Aspidū

ſpecies ſunt, verùm diſparis effectus ad nocendum. Dipſas [h] ſiti interficit. Hypnale, quòd ſomnifero necat, teſte etiam Cleopatra, emitur ad mortem. Aliarum virus, quoniam medelas admittit, minùs famæ meretur. Hæmorrhois morſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venarum commercijs, quicquid animæ eſt, euocat per cruorem. Preſter [i] quem percuſſerit oſtenditur, enormíque corpulentia necatur extuberatus. Ictus Sepium [k] ſtatim putredo ſequitur. Sunt & Ammoditæ, eſt & Cenchris, Elephantiæ, Cherſydri, Chamædracontes. Poſtremò quantus nominum, tantus mortiũ numerus. Nam Scorpiones, Scinci, lacertíque, vermibus, non ſerpentibus aſcribuntur. Monſtra hæc ſi bibant, clementiùs feriunt. Habent affectus, non temerè niſi coniuges euagantur. Capto altero, vel occiſo, vter ſuperfuerit, efferatur. Subtiliora ſunt capita fœminis, alui tumidiores, peſtis nocentior. Maſculis æqualiter teres eſt, ſublimior etiá, mitiórque. Igitur anguibus vniuerſis hebes viſus eſt. Rarò in aduerſum contuentur, nec fruſtra, cùm oculos non in fronte habeant, ſed in téporibus, adeo, vt citiùs audiant quàm quid aſpiciant. De gemma Heliotropio inter Æthiopiam, Africam, & Cyprum certamen fuit, quænam mitteret generis huius eminentiſſimam, deprehenſúmque eſt documẽtis plurimis Æthiopicam, aut Libycam, palmá tenere. Viridi colore eſt, non ita acuto, ſed nubilo magis, & repreſſo. ſtellis puniceis ſuperſperſa. Cauſa nominis de effectu lapidis eſt, & poteſtate. Deiecta in labris æneis, radios ſolis mutat ſanguineo repercuſſu, extráque aquam ſplendorem eius abijcit, & auertit. Etiá illud poſſe dicitur, vt herba eiuſdem nominis mixta,

ta,& præcantationibus legitimis consecrata,cùm à quocunque gestabitur subtrahat visibus obuiorum. Inter Syrtes,quáuis terra pergentibus,iter syderibus destinatur,nec aliter cursus patescit.Nam putris soli faciem aura mutat,& minimo licèt vento,tantam diuersitatem flatus efficit,vt subinde euersis sitibus locorum,nulla indicia agnitioni relinquantur:cùm modò quæ fuerant tumulis ardua,in valles residũt: modò quæ vallibus pressa, cœtu pulueris aggerantur.Ita etiam continens naturam maris sui patitur. Nec interest vbi potiùs sint procellæ,cùm ad exitiũ viantium elementis congruentibus,in terris flabra sęuiant,in mari terrę.Vtręque Syrtes ducentis quinquaginta millibus passuum separantur:aliquanto clementior,quæ minor est.Cneo denique Seruilio, C.Sempronio cos s.inter hæc vadosa classem Romanam impunè accepimus perfretasse. In hoc sinu Meninx insula post Myrturnenses paludes C.[m] Mario fuit latebra. Supra Garamantas Psylli fuerunt, contra noxium virus muniti incredibili corporis firmitate.Soli morsibus anguium non interibant,& quanuis dente letali appetiti, incorrupta durabant sanitate.[n] Recèns etiam editos serpentibus offerebant.Si essent partus adulterini, matrum crimina plectebantur interitu paruulorum:si pudici,probos ortus à morte paterni sanguinis priuilegium tuebatur.Sic originis fidem probabant venenis iudicantibus.Sed hæc gens interijt à Nasamonibus capta.Neq; quicquam aliud præter opinioné de vestigio nominis sui Psylli reliquerũt.Nasamonité lapidé Nasamones dãt,sanguineum vniuersum, nigris venulis adumbratum.In intimo recessu Syrtis ma-

ioris circa Philænorũ aras, °Lotophagos fuisse didicimus, nec incertũ est. A Philænorum aris non procul palus est, P quam Triton amnis influit, vbi speculatam se artium deam crediderunt. Maior Syrtis ostentat oppidum, Cyrenas vocant, quod Battus ꝙ Lacedæmonius Olympiade quinta & quadragesima, rege Martio res Rom. tenéte, anno post Troiá captã quingentesimo octogesimo sexto condidit. Quæ domus Callimachi poëtæ fuit, & patria. Inter hoc oppidũ, & téplũ Ammonis, millia passuum quadringẽta sunt. Téplo fons proximat Solis r sacer, qui humoris nexibus humum stringit, fauillam etiam in cæspitem solidat. In qua gleba non sine miraculo lucus viret vndique secus agris arentibus. Illic & lapis legitur, Ammonis vocant cornu. Nam ita tortuosus est, & inflexus, vt effigiem reddat cornu arietini. Fulgore aureo est. Prædiuina somnia repræsentare dicitur subiectus capiti incubantium. Et arbor est Metops nomine, ex qua profluit lentus humor, quem à loco Ammoniacum nominamus. Apud Cyrenenses prætereà Syrpe gignitur, odoratis radicibus, virgulto herbido magis, quàm arbusto. Cuius è culmo exudat æstatis tempore pingue roscidum, ídque pascẽtium ſ hircorum inhæret barbulis: vbi cùm arefactum inoleuit, guttis stiriatis legitur ad vsum̃ mensarum, vel medelæ magis. Dictum est primum lac Syrpicum, quoniam manat in modum lacteum, deinde vsu deriuante Laser nominatum. Quæ germina initio barbaricæ impressionis vastatis agris, postea ob intolerandam vectigalis nimietatem, fermè penitus ipsi accolæ eruerunt. Cyrenis ab læua Africa est, ab dextera Ægyptus, à fronte sæuum & im-

por-

portuosum mare, à tergo Barbarorum variæ nationes,& solitudo, inaccessa, incultáque & squalens, quæ Basiliscum creat, malum in terris singulare. Serpens est penè t ad semipedem longitudinis, alba quasi mitrula lineatus caput. Nec hominis tantùm vel aliorum animantium exitiis datus, sed terræ quoque ipsius, quam polluit, & exurit, vbicunque ferale sortitur receptaculum. Denique exstinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impunè transuolet infectum spiritu pestilenti. Cùm mouetur, media corporis parte serpit, media arduus est, & excelsus. Sibilum eius etiam serpentes alij perhorrescunt. Et cùm acceperint, fugam quæque quoquò possunt, properant. Quicquid morsu eius occiditur, non depascitur fera, non attrectat ales. Mustelis tantùm vincitur, quas illinc homines inferunt cauernis in quibus delitescit. Vis tamen ne defuncto quidem deest. Denique Basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni compararunt, & vt ædem Apollinis manu insignem, nec araneæ intexerent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo suspensum, ibidem locarunt. Circa extimum Syrtium cornu Berenicen ciuitatem alluit Lethon amnis, inferna, vt putant, exundatione prorumpens, & apud pristinos vates latice memoratus u obliuionis. Hanc Berenice muniuit, quæ Ptolomæo tertio fuit nupta, & in maiori Syrte locauit. Omne autem latifundiũ quod inter Ægyptum, Æthiopiam, Lybiámque diffunditur, quacunque lucis opacum est, varium impleuit Simiarum genus. Nec quisquam offensus nominis cognitione grauetur. Enimuero operæpretiũ

est nihil omittere, in quo naturæ spectanda sit prouidentia. Vulgus Simiarum in his est, quas passim videmus non sine ingenio æmulandi: quo faciliùs in manus veniunt. Nam dum auidè venantium gestus affectant, relicta consultò visci vnguilla quod mendacio factum vident, oculos suos oblinunt. Ita visu obducto, pronum est eas corripi. Exultant noua luna, tristes sunt cornuto & cauo sydere. Immoderatè fœtus amant, adeò vt catulos faciliùs amittãt, quos impendio diligunt, & ante se gestant, quoniam neglecti ponè matrem semper hærent. x Cercopitheci caudas habent. Hæc sola discretio est inter priùs dictas. Cynocephali & ipsi sunt è numero Simiarum, in Æthiopiæ partibus frequentissimi. Violenti ad saltum, feri morsu, nunquam ita mansueti, vt nõ sint magis rabidi. Inter Simias habentur & Sphinges, villosæ comis, mammis prominulis, ac profundis, dociles ad feritatis obliuionem. Sunt & quas vocãt Satyros, facie admodum grata, gesticulatis motibus inquietæ. Callithriches toto penè aspectu à cæteris differunt. In facie barba est, lata cauda. Has capere non est arduum, sed proferre rarum. Neque enim viuunt in altero, quàm in Æthiopico, hoc est suo solo.

IN CAP. XXX. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Lucan. in 9. Pharsal.

Vadimus in campos steriles, exustáque mundi,
Qua nimius Titan, & raræ in fontibus vndæ.

b Iustinus Carthaginem conditam ait, 70. ann. ante Romam, deletam verò anno vrb. 606. Ergo deleta postquam fuit constituta, anno 678.

c Plin. lib. 8. cap. 16. Leonum duo facit genera, alterum breuius,

breuius, alterum longius, pilóque probiore, quod generosius est.

d Philostrat. lib. 1. refert Tyaneum reperisse leænam à venatoribus interfectam, in cuius cæso ventre catulos octo inuenerit.

e Onagri 15. die Martij, 12. rudent in nocte, & 12. in die, æquinoctium indicantes. Albertus.

f Lucan. in 9.

Et grauis in geminam surgens caput Amphisbæna.

g Ibidem, *Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis.*

h Vide Aristot. lib. 9. cap. 29. de natur. animal. Lucan. citato libro, *In medijs sitiebant Dypsades vndis.*

i Ibid. *Oráque distendens auidus spumantia prester.*

k *Ossáque dissoluens cum corpore tabificus seps.*

l Silius in fine 3.

Has obseruatis valles euasimus astris,
Namque dies confundit iter.

m Marij fugam vide apud Appian. lib. 1. ciuil. Liuiũ li. 78.

n Lucan. lib. 9. — *Fiducia tanta est*
Sanguinis, in terram paruus cùm decidit infans,
Ne qua sit externæ Veneris mixtura timentes,
Letificâ dubios explorant aspide partus.

o Apollonius apud Philostratum lib. 1. ait: Qui ad Lotophages nauigant, eius cibi suauitate capti, domesticarum rerum obliuiscuntur. Vide Homer. 9. Odyss.

p Pallas inuenta tibia cùm buccis tumidis ex aqua se conspexisset, eam ipsam tibiam in Tritonem Lybiæ paludem abiecit. Herodot. lib. 4. Diodor. 4. Sil. 3. Luc. 9. Alii referunt id factum in Meandro. Propert. 3.

Quæ non iure vado Meandri iacta natasti,
Turpia cùm faceret Palladis ora tumor.

q Delphicum oraculum Grino Theræ insulæ Regi respondit, vt vrbem in Africa conderet: quo audito, Ego, inquit ô Pythia, senior sum, ac grauis admodum, tu verò quempiam meorum comitum iube facere. Tum illa continuo Battum, ostendit. Vide Herodot. in Melp. & Diodor. in 5.

r Ouid. lib. vlt. Metamor.

— Medio tum corniger Ammon
Vnda die gelida est, ortúque, obitúque calescit.

Vide Luc.6.Arrian.lib .3.Herod in Melp.

s Hoc etiam pacto Ladanum & Oesypum, caprarum scilicet villis colligit, annotat Plin. lib.12.c.17.

t Auicenna dicit duarum palmarum.

u Sicut in Bœotia ad Trophonium Deum iuxta flumẽ Orchomenon, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter obliuionem inducunt.

x In hos Macedones, tanquam in hostes irruerunt. Vide Strab.lib.5.de India, quam intrauer at Alexander.

CAP. XXXI.

De Hammanientum gente, déque in ea domibus sale constructis.

INter Nasamonas & Troglodytas gens Hammanientum est, quæ salibus domos extruunt, quos in modum cautium è montibus excitatos, ad vsum ædium cæmentitiis nectunt struibus. Tanta ibi huiusce venæ copia est, vt tecta faciant è salinis. Hi sunt Hammanientes, qui commercia cum Troglodytis habent. Carbunculi gemmæ citra Hammanientes propiores Nasamonibus. Asbystæ [a] *Laserc* viuunt, hoc aluntur, hoc illis edule est.

a Asbystę dicti ab Asbysta, eius loci vrbe. De Lasere vide Plin.lib.19.c.3.

CAP. XXXII.

De Garamantibus, déque miro apud eos dẽ fonte.

GAramantum oppidum est Debris fonte miro. Quidni? alteruis vicibus die frigeat, nocte feruet, ac per eadem venarum commercia, interdum ignito vapore æstuet, interdum glaciali horrore algescat. Incredibile memoratu, vt tam breui temporis curriculo natura tam dissonã sui faciat varietaté.

Id-

Idque qui perconctari velit, tenebris ineſſe fluori illi æternam facem credat. Qui rimetur die brumales ſcatebras, nũquam aliud exiſtimet, quàm perpetuò rigere. Vnde nõ immeritò per gentes Debris inclyta eſt, cuius aquæ ex cæleſti vertigine mutant qualitatem, quamuis controuerſa ſyderum diſciplina. Nã cùm mundum à calore veſper temperet, ab occaſu incipit ita incaleſcere, vt ni tactu abſtineas, noxium ſit contigiſſe. Rurſus cùm ortu ſolis incanduerit, & radiis feruefacta ſint omnia, ſic glaciales euomit ſcaturigines, vt hauriri etiam à ſitientibus nequeat. Quis ergo non ſtupeat fontem, [a] qui friget calore, calet frigore? Garamanticæ regionis caput eſt Gara-Garama na, ad quam iter diu inextricabile fuit, & inuium. Nam latrones puteos arenis operiebant, vt temporaria fraude ſubductis aquis infame ſiti iter ſubmoueret acceſſus viantium. Sed Veſpaſiano Principe, bello quod cum Oeenſibus geſtum eſt, difficultas hæc diſſoluta eſt compendio ſpatij breuioris reperto. Garamantas Cornelius Balbus ſubegit, & primus ex hac victoria triumphauit. Primus ſanè de externis, vtpote qui Gadibus genitus, acceſſit ad gloriam nominis triumphalis. [b] Armenta gentis iſtius obliquis ceruicibus pabulantur. Nam ſi recta ad paſtum ora dirigant, officiunt prona in humum cornua, & obnixa. Ex parte qua Cercina eſt, accepimus Gaulon inſulam, in qua ſerpens neq; naſcitur, neque viuit inuecta. Propterea iactus ex ea quocunque gentium puluis, arcet angues. Scorpiones ſuperiactus illicò perimit.

IN CAP. XXXII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a MS. hæc non habent, *qui friget calore, calet frigore*: & nō sine causa: illud enim satis in præcedentibus significatum.

b Vide Herodot. lib. 4.

CAP. XXXIII.

De Aethiopia, de eius regionis nominum obscœnis moribus, ac eorundem hominum monstrosis formis. De Draconibus, mirăque naturæ ibidem feris aliis. De cinnamomo aromate, déque hyacintho lapide.

AEthiopes, & Atlanticæ gentes, Nigri flumine diuiduntur, quam partem putant Nili. Sic papyro viret, sic calamo prætexitur, animalia eadem edit, iisdem temporibus exundat, intra ripas tunc quoque redit, cùm contentus est alueo suo Nilus. Garamantici Æthiopes matrimonia priuatim nescíũt, sed omnibus vulgò in venerem licet. *Inde est*, quòd filios matres tantùm recognoscunt. Nam paterni nominis nulla reuerentia est. Quis enim verũ patrem nouerit in hac luxuria incesti lasciuientis? Eapropter Garamantici Æthiopes inter omnes populos degeneres habentur; nec immeritò, quia afflicta castitatis disciplina, successionis notitiam ritu improbo perdiderunt. Nomen Æthiopum latè patet. In parte Africana qua Meroën videt Libya, plurimæ eorum sunt & variæ nationes. Harum è numero Nomades Cynocephalorum lacte viuũt. Syrbotæ longi sunt ad pedes duodecim. Asachęi captos venatibus elephantos deuorant. Apud Sambros nulla est aurita quadrupes, nec Elephanti quidem. His proxi-

proximi ſummam regiæ poteſtatis cani tradunt: de cuius motibus quidnam imperitet, augurantur. Maritimos Æthiopas quaternos oculos dicunt habere. Sed fides alia eſt, illa denique, quòd & vident plurimum, & manifeſtiſſimè deſtinát iactus ſagittarum. Occidentem verſus Agriophagi tenent, qui ſolas Pantherarum & leonum carnes edunt, rege prædiți, cuius in fronte oculus vnus eſt. Sunt & Pamphagi, quibus eſca eſt quicquid mandi poteſt, & omnia fortuitò gignentia. Sunt & Anthropophagi, quorũ mores vocamen ſonat. Cynamolgos aiunt habere caninos rictus, & prominula ora. Arthabathitæ proni, atque quadrupedes, nec ſecùs ac feræ, ſine ſedibus euagantur. Confines Mauritaniæ certo tempore, locuſtas terreſtres legunt, duratáſque ſalſugine in præſidi um vitæ ſolas habent. Sed ex illis quadrageſimũ æui annum nullus ſupergreditur. Ab Oceano iſto ad Meroen, quam inſulam amplexu primo Nilus facit, millia paſſuum ſunt ſexcenta viginti. Vltra Meroen ſuper exortum ſolis Macrobij [a] Æthiopes vocátur. Dimidio enim eorum protenſior, quàm noſtra vita eſt. Hi Macrobij iuſtitiam colunt, amát æquitatem, plurimum valent robore, præcipua decent pulchritudine, ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorũ. Locus apud eos eſt [b] Heliotrapeza opiparis epulis ſemper refertus, quibus indiſcretè omnes veſcũtur. Nam & diuinitus eas augeri ferunt. Eſt & ibidem lacus, quo perfuſa corpora velut oliuo niteſcũt. Ex hoc lacu potus ſaluberrimus. Sanè adeo liquidus eſt, vt ne caducas quidem vehat frondes, ſed illicò folia lapſa ad fundum demittat [c] laticis tenuitate. Vltra hos deſertæ inhumanæque ſolitudines, aduſq;

Arabicos ſinus. Deinde in vltimis Orientis mõſtro-
ſæ gentium facies. Aliæ ſine naribus, æquali totius
oris planitię informes habent vultus. Alijs concreta
ora ſunt, medicóq; tantũ foramine calamis auena-
rum paſtus hauriunt. Nonnullæ linguis carent, inui-
cem ſermonis vtentes nutibus motibuſq;. Quædam
ex iſtis nationibus ante Ptolomæum Lathyrum re-
gem Ægypti, incognitum habuerunt ignis vſum.
Æthiopia omnis ab oriente hyberno ad occidentẽ
hybernum tenet. Quicquid eius eſt, ſub meridiano
cardine lucis nitet. Qui maximè viret hyeme, à me-
ridiana parte mõs editus mari imminet, ingenuo i-
gne per ęternũ feruidus, & inquietè iugis flagrãtib⁹;
inter quæ incendia iugis æſtus, Draconũ magna co-
pia eſt. Forrò veris draconibus ora parua & ad mor-
ſus non dehiſcentia, ſed arctæ fiſtulæ, per quas &
trahunt ſpiritus, & linguas exerunt. Quippe non in
dentibus vim, ſed in caudis habẽt, & verbere potiùs
quàm rictu nocent. Exciditur è cerebris draconum
dracontias lapis, ſed lapis non eſt, niſi detrahatur vi-
uentibus. Nam ſi obeat priùs ſerpens, cũ anima ſi-
mul euaneſcit durities ſoluta. Vſu eius ᵈ Orientis re-
ges præcipuè gloriantur, quanquam nullum lenoci-
nium artis admittat ſoliditate: & quicquid in eo no-
bile eſt, non manus faciunt, nec alterius quã naturæ
candor ſit, quo reluceat. Auctor Sothacus gemmam
hanc etiam ſibi viſam ſcribit, & quibus intercipia-
tur modis, edocet. Pręſtantiſſimi audacia viri explo-
rant anguium foueas, & receptus: inde præſtolati ad
paſtum exeuntes, prętereuectíq; percitis curſibus, ob-
jiciunt gramina medicata quantum poteſt ad inci-
tãdum ſoporẽ. Ita ſommo obſopitis, è capitibus de-

ſecãt

secant lapides, & de manubijs præcipitis ausi, prædam reuehunt temeritatis. Quæ locorum Æthiopes tenent, feris plena sunt, è quibus quá Nabim vocát, nos Camelopardalim dicimus, collo equis simílé, pedibus bubulis, capite camelino, nitore rutilo, candidis [e] maculis superspersa. Hoc animal Romæ Cir-
cénsibus dictatoris Cęsaris primũ publicatũ. Iisdem fermè tẽporibus illinc exhibita mõstra sunt, Cepos appellant, quorum posteriores pedes crure & vestigio humanos artus mentiuntur: priores perinde hominum manus referunt: quæ tamen à nostris nõ amplius quàm semel visa sunt. Ante ludos Cnei Põpeij Rhinocerota Romana spectacula nescibãt. Cui bestiæ color bruxeus, in naribus cornu vnicũ, & repádum, quòd subinde attritũ cautibus, in mucroné excitat, eóque aduersos elephantos præliatur, par ipsis longitudine, breuior cruribus, [f] naturali telo aluũ petens, quàm solam intelligit ictibus suis peruiam. Iuxta Nigrin fluuium Catoblepa nascitur modica, atque iners bestia, caput prægraue ægrè ferens, aspectu pestiléti. Ná qui in oculos eius offenderint, protinus vitã exeũt. Formicæ ibi ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruunt, quos leoninos habent: quas custodiunt, ne quis auferat, captantesq; ad necé persequuntur. Eadem Æthiopia mittit Lycaonem. Lupus est ceruice iubatus, & tot modis varius vt nullum illi coloré dicant abesse. Mittit & Tarandum, boũ magnitudine, bisulco vestigio, ramosis cornibus, capite ceruino, vrsino colore, & pariter villo profundo. Hunc Tarandum affirmant habitũ meru vertere, & cum delitescat, fieri assimilem cuicũq; rei proximauerit, [h] siue illa saxo alba sit, seu fruteto

virens, siue quam aliam præferat qualitatem. Faciũt hoc idem in mari Polypi, in terra Chamæleõtes. Sed & Polypus & Chamæleon glabra sunt, & pronius est cutis leuitate speculi modo proximãtia æmulari. In hoc nouum est ac singulare, hirsutiam pili colorum vices facere. Hinc euenit, vt difficulter capi possit. Æthiopicis lupis proprium est, quòd in saliendo ita nisus habent alitis, vt non magis proficiát cursu, quàm meatu. homines tamẽ nunquá impetũt. Bruma comati sunt, æstate nudi: [i] Thoas vocant. Hystrix quoque inde loci frequẽtissima, erinacijs similis, spinis tergum hispida, quas plerũque laxatas iaculatione emittit voluntaria, vt assiduis aculeorum nymbis canes vulneret ingruentes. Illius cæli ales est Pegasus. Sed hæc ales equinum nihil præter aures habet. Tragopa quoq; auis maior aquilis, cornib° arietinis proferens armatũ caput. Æthiopes legunt [k] Cinnamomum. Id frutetum situ breui nascitur, ramo humili & represso, nunquam vltra duas vlnas altitudinis. Quod graciliùs prouenit, eximium magis ducitur. Quod in crassitudinem extuberatur, despectui est. Verũ legitur per sacerdotes hostijs prius cæsis. Quæ cùm litauerint, obseruatur vt messis nec ortũ Solis anticipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principatum tenet, sarmentorum aceruos hasta diuidit, quæ sacrata est in hoc ministeriũ. Atq; ita portio manipulorum Soli dicatur: quæ si iuste diuisa est, sponte incenditur. Inter hęc quę diximus, nitore cæruleo Hyacinthus inuenitur, lapis pretiosus, si quidẽ inculpabilis inueniatur. Est enim vitijs nõ parcè obnoxius. Nã plerunq; aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantiùs in aquaticũ eliquescit.

Optimus

Optimus in illo tenor, si nec densiore fuco sit obtusior, nec propésa perspicuitate detectior, sed ex vtroque temperaméto lucis & purpuræ moderatũ suauiter fluorem trahat. Hic est qui sentit auras, & cum cælo facit mutationem: nec æqualiter rutilat, cũ aut nubilosus est, aut serenus dies. Præterea in os missus magis friget. Scalpturis certè minimè acccómodatus, vt qui atritum respuat. Nec tamé penitus inuictus est. Nam Adamante scribitur & notatur. Vbi Hyacinthus ibi, & Chrysolampis apparet, quẽ lapidem lux cælat, prodit obscurũ. Hæc enim est in illo diuersitas, vt nocte igneus sit, die pallidus. Ex ipso sumimus Hæmatité rubore sanguineo: ac propterea Hæmatites vocatus.

IN CAP. XXXIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Vide Herodot. in Thalia.

b Pausan. in Atticis, & Herodot. in 3.

c Plin. lib. 2. c. 103. Nihil in Asphaltite Iudęæ lacu, qui bitumen gignit, mergi potest, nec in Armenia maioris Arethissæ: is quidem nitrosus pisces alit.

d Huiusmodi Gyges in annulo habuit, vt est apud Philostratum lib. 3.

e Hanc feram Babylonij, qui sunt iuxta Memphin, pro Deo colunt. Vide Strab. lib. vlt.

f V. C. *naturaliter*, non inconcinnè.

g Vide Herodot. 3, Philostrat. 6. Strabon. 15.

h Mutationis caussam esse tradunt, quod huius, & aliorũ quorundam animalium pili, vel cutes potiùs, speculi naturæ sint assimiles.

i Herodot. lib. 4. has feras dicit lupo & hyena genitas.

k Philostratus lib. 3. tradit cinnamomum nasci in radicibus Caucasi montis, qua in rubrum mare porrigitur, ídque nouis sarmentis assimilari, bonitatis autem sue capram expe-

rimentum dare. Si quis enim cinnamomum caprę porrexerit, tanquam catulus admurmurat, abeuntémque sequitur, nares quoad potest, ipsi propinquans: quod si pastor eam amouerit, non secùs queritur acsi pabulo distracta esset.

I Quoniam natiuum Hyacinthi frigus calorem oris, lapidis huius naturæ contrarium fugiens, se ipsum in vnum recolligit.

CAP. XXXIIII.

Mira de intimis gentibus Libyæ, de lapide Hexecontalitho.

QVod ab Atlante adusque Canopitanum ostiũ panditur, vbi Libyæ finis est; & Ægyptium limen, dictum à Canopo Menelai gubernatore ibi sepulto. In ea insula, quæ ostium Nili facit, gentes tenent dissonæ, quæ in auiæ solitudinis secretum recesserunt. Ex his Atlantes ab humano ritu prorsus exulant. Nulli proprium vocabulum, nulli speciale nomen. Diris Solis ortus excipiunt, diris occasus prosequuntur, vstíque vndique torrentis plagæ sydere, oderunt deum lucis. Affirmant eos somnia nõ videre, & [a] abstinere penitus ab animalibus vniuersis. Troglodytæ specus excauant, illis teguntur. Nullus ibi habendi amor, à diuitiis paupertate se abdicarunt voluntaria. Tantùm lapide vno gloriantur, quem Hexecontalithon vocant, tam diuersis notis sparsum, vt sexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo deprehendantur. Omnes isti carnibus viuunt serpentum: ignarique sermonis stridunt potiùs quàm [b] loquuntur. Augylæ verò solos colunt inferos. Fœminas suas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere. Mox ad perpetuam pudicitiam legibus stringunt seuerissimis. Gamphasantes

tes abstinent præliis, fugiunt commercia, nulli se externo misceri sinunt. [c] Blemmyas credunt truncos nasci parte qua caput est, os tamen & oculos habere in pectore. Satyri de hominibus nihil aliud præferũt, quàm figurã. Ægypanes hoc sunt, quod pingi videmus. Himantopodes flexis nisibus crurum repunt potiùs quàm incedunt, & pergendi vsum lapsu magis destinant, quàm ingressu. Pharusi cùm Herculi ad Hesperidas pergenti forent comites, itineris tædio hîc resederunt. Hactenus Libya.

IN CAP. XXXIV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Sicut Essæi & Gymnosophistæ, vt auctor Porphy. li. 4.
b Vespertilionum more, vt inquit Herodot. in Melpem.
c Augustin. sermone 37. ad Eremitas asserit se huius generis homines adiisse, vt iis Christi Euangelium prędicaret.

CAP. XXXV.

De Aegypto, de Nili fluminis origine, augmento, ostijs. De Api boue, De Crocodilis, Trochilo aue, Scincis, Hippopotamis, Ibide aue, De miris Aegypti arboribus, De Alexandria, De Pyramidibus.

AEgyptus à meridie introrsus recedit, quoad prætendant Æthiopes. A tergo inferiorem eius partem Nilus circunfluit, qui scissus à loco cui Delta nomen est, ad insulæ faciem spatia amplectitur interna, & incerto [a] penè fonte decurrens proditur, vt loquemur. Originem habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat. Hoc affir-

mant Punici libri,hoc Iubam regem accepimus tradidisse.Igitur protinus lacum efficit , quem Nilidé dicunt.Nilum autem iam inde esseconiectant,quòd hoc stagnũ herbas,pisces,beluas nihilo minùs procreet,quàm in Nilo videmus.Ac siquando Mauritania, vnde ei origo est , aut niuibus densioribus , aut imbribus largioribus irrigatur,inde incrementa exundationis in Ægypto augentur. Sed effusus hoc lacu arenis sorbetur,& cuniculis cæcis absconditur: deinde in Cæsariensi[b] specu prorumpens amplior,eadem indicia præfert , quæ in exortu notauimus. Rursusque subsidit,nec se priùs reddit,quàm post interualla itineris extenti contingat Æthiopas.Vbi exit,Nigrum facit fluuium,quem supra diximus terminum esse limitis Africani.Hastapum eum indigetes vocant,scilicet aquam è tenebris profluentem. Multas,magnásque ambit insulas.Quarum pleræq; sunt tam diffusæ & vastæ magnitudinis , vt vix eas dierum quinque cursus prætermeet, quanuis concitus ibi feratur.Nobilissima earum est [d]Meroë,circũ quá diuisus dextro alueo Astusapes , læuo Astabores nominantur.Tunc quoque emensus magna lõginquáque loca , cùm primùm occursantibus scopulis asperatur,tantis agminibus extollitur inter obiecta rupium , vt ruere potiùs quàm manare credatur. Demúmque à Cataracte [e] vltimo tutus est.Ita enim quædam claustra eius Ægyptij nuncupant. Relicto tamen hoc priore suo nomine , quo Syris vocatur, mox inoffensus meat.Septem ostijs conditur,in meridiem versus excipitur Ægyptio mari.Ignari syderũ vel locorum varias de excessibus eius causas dederunt.Alij affirmant Etesias nubium densitatem illò cogere,

cogere, vnde amnis hic auſpicatur, ipſúmque fonté ſuperno f humore ſublatum, tantam inundationis habere ſubſtantiam, quantum pabuli ad liquorem nubila ſumminiſtauerint. Ferunt alij, quòd ventorũ flatibus repercuſſus, cùm fluorem ſolidæ velocitatis non queat promouere, aquis in arcto luctantibus intumeſcat: & quanto impenſiùs controuerſi ſpiritus repugnauerint, tanto excelſius ſublimari in altitudinis vertices repercuſſam celeritatem, quando nec ſolitus extenuet curſus alueum, & ſtipato iam flumine, venis originalibus torrentium pondera ſuperueniunt. Ita concordi violentia, hinc vrgentis elementi, hinc reſiſtentis, vndis exultantibus, molem colligi, quæ exceſſus facit. Nonnulli affirmant fontem eius qui Phiala vocatur, ſyderum motibus excitari, extractúmque radijs cadentibus cæleſti igne ſuſpendi, non tamen ſine certa legis diſciplina, hoc eſt lunis cœptantibus. Verùm omnem exceſſus originẽ de ſole fieri, primámque exultantiam tumoris concipi, cùm per Cancrum ſol vehatur. Poſtmodùm triginta eius partibus euolutis, vbi ingreſſus Leonem, ortus Syrios excitauerit, propulſo omni fluore tantá g vim amnis erumpere. Quod tempus Sacerdotes natalem mundi iudicarunt, id eſt, in tertiumdecimum Calendas Auguſtas, & vndececimum diem. Deinde reuocari exitus vniuerſos, cùm in Virginem trãſeat, penitúſque intra ſuas ripas capere, cùm Libram ſit ingreſſus. Hoc etiam addunt, pariter eum nocere, ſiue abundantiùs exæſtuet, ſiue parciùs, quandoquidé exiguitas minimum fœcunditatis apportet, propenſior copia diuturno humore culturam moretur. Maximos eius exitus cubitos duodeuiginti conſurgere,

iuſtiſſimos ſedecim temperari. Nec in quindecim abeſſe prouentus fructuarios, ſed quicquid intra ſit, famem facere. Dant illi etiam hoc maieſtatis, vt portendat futura, h argumẽtantes, quãdoquidẽ Pharſalico bello non fuerit egreſſus quinque vlnas. Iam illud palam eſt, quòd ſolus ex amnibus vniuerſis nullas expiret auras. Ditionis Ægyptiæ eſſe incipit à Syene, in qua fines Æthiopum, & inde vſque dum mari intimatur, Nili nomen tenet. Inter omnia quæ Ægyptus habet digna memoratu, præcipuè bouem mirantur, Apim vocant. Hunc inſtar colũt numinis, inſignẽ notæ albę macula, quę dextro eius lateri ingenita, corniculãtis lunę refert faciem. Statutum ęui ſpatium eſt, quod vt affuit, profundo ſacri fõtis immerſus necatur, ne diẽ longiùs trahat, q̃ licebit. Mox alter, nec ſine publico luctu, requiritur, quem repertum centum antiſtites Memphim proſequuntur, vt incipiat ſacris ibi initiatus, ſacer fieri. Delubra, quibus ſuccedit aut incubat, myſticè thalamos nominant. Dat omnia manifeſtantia de futuris: illud maximum, ſi de conſulentium manu cibum capiat. Deniq; auerſatus Germanici Cæſaris dextram, prodidit ingruentia, nec multò poſt Cæſar extinctus eſt. Pueri Apim gregatim ſequuntur, & repentè velut lymphatici ventura præcinunt. Bos illi fœmina oſtenditur in anno ſemel, & ipſa non abſque certis inſignibus, quæ atque inuenta & oblata eſt, eadem die ſtatim neci datur. Apis natalem Memphitici celebrant iactu aureæ pateræ, quã proijciunt in Nili [k] gurgitem. Hæc ſolennitas per dies ſeptem agitur. Quibus diebus cũ ſacerdotibus quaſdam Crocodili inducias habent, nec attrectant lauantes. Verùm o-

octauo

ctauo die ceremonijs iam peractis, velut reddita sæuiendi licentia, solitam resumunt atrocitatem. Crocodilus malum quadrupes & in terra & in flumine pariter valet, linguam non habet, maxillam mouet superiorem. Morsus eius horribili tenacitate conueniunt, stipante se dentium serie pectinatim. Plerunque ad viginti vlnas magnitudinis [l] coalescit. Qualia anseres [m] edit oua. Metatur locum nido naturali prouidentia, nec alibi fœtus premit, quàm quò crescentis Nili aquæ non possunt peruenire. In partu fouendo mas & fœmina vices seruant. Præter hiatum oris armatus est etiam vnguium immanitate. Noctib⁹ in aqua degit, per diem humi acquiescit. Circundatur maxima cutis firmitate, in tantùm vt ictus quouis tormento adactos tergore repercutiat. Trochilos auis paruula est. Ea dum reduuias escarum affectat, os beluæ huiusce paulatim scalpit, & sensim scalpurigine blandiente aditum sibi in vsque fauces facit. Quod Enhydrus conspicatus, alterum [n] Ichneumonum genus, penetrat beluam, populatisque vitalibus, erosa exit aluo. Est & Delphinū genus in Nilo, quorum dorsa serratas habēt cristas. Hi Delphines Crocodilos studio eliciunt ad natandum, dimersique astu fraudulento tenera ventrium subternatantes secant, & interimunt. Præterea habitant in insula Nili homines forma perexigui, sed audacia [o] eò vsque præditi, vt Crocodilis se offerāt obuios. Nam hæc monstra fugientes insequuntur, formidant resistentes. Ergo capiuntur, subactique etiam intra aquas suas seruiunt, & perdomiti metu ita obsequuntur, vt immemores atrocitatis, victores suos inequitantes dorso vehant. Hanc ergo insulam,

& hanc gentem vbicunque indicio odoris perſenſerint, procul fugiunt. In aqua obtuſiùs videt, in terra acutiſſimè. Hyeme nullũ cibum capiunt, quinetiã quatuor menſes à cœptu brumæ inedia exigunt. Scinci quoque circa Nilum frequentiſſimi, Crocodilis quidem ſimiles, ſed modica forma, & anguſta, verùm ad opem ſalutaré P non qualibet neceſſarij. Medentes quippe ex ipſis pocula ſi ficiunt, quibus & ſtupor neruorum excitetur, & veneni vis extinguatur. Hippopotamus in eodem flumine ac ſolo naſcitur, equino & dorſo, & iuba, & hinnitu, roſtro reſupino, vngulis bifidis, aprinis dentibus, cauda tortuoſa. Noctibus ſegetes depaſcitur, ad quas pergit auerſus aſtu doloſo, vt fallente veſtigio, reuertenti nullæ ei inſidiæ præparentur. Idem cùm diſtenditur nimia ſatietate, arundines recèns cæſas petit, per quas tamdiu obſeruatur, quoad ſtirpium acuta pedes vulnerent, vt profluuio ſanguinis leuetur ſagina. Plagam deinde cœno oblinit, vſquedum vulnus conducatur in cicatrice. Hippopotamos & Crocodilos primus Romam Marcus Scaurus inuexit. Circa eaſdem ripas ales eſt Ibis. Ea ſerpentum populatur ouа, gratiſſimámque ex his eſcam nidis ſuis defert. Sic rareſcunt prouentus fœtuum noxiorum. Nec tamen aues iſtæ tantùm intra fines Aegyptios profũt. Nam cùm Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus eſt, vt morſum antè mors, quàm dolor inſequatur: ſagacitate, qua ad hoc valent, aues excitatę, in procinctum eunt vniuerſæ, & priùs quàm terminos proprios externum malum vaſtet, in aëre occurſant cateruis peſtilentibus: ibi agmen deuorant vniuerſum. Quo merito

merito ſacræ ſunt,& illæſæ.Ore pariunt. Nigras ſolum Peluſium mittit, reliqua pars candidas. De arboribus,quas ſola fert Ægyptus, præcipua eſt ficus Ægyptia,foliis moro comparanda,poma non ramis tantùm geſtitans,ſed & caudice,vſque adeò fœcunditatis ſuæ auguſta eſt , vt vno anno ſeptiesfructum ſufficiat.Vnde pomum decerpſeris,alterum ſine mora protuberat.Materia eius in aquam miſſa ſubſidit: deinde cum diu deſederit in liquore,leuior facta ſuſtollitur,& verſa vice,quòd natura in alio ligni genere non recipit,fit humore ſicca. Palma quoque Ægyptia dicenda res eſt,propriè ¶ Adipſos vocatur, vt dici oportuit:eáque guſtata arcet ſitim. Odor eidem,qui & malis Cydonijs.Sed demum ſitim ſedat, ſi prius quàm maturuerit decerpatur.Nam ſi matura ſumatur,ſenſum intercipit , greſſum præpedit, linguam retardat,obſeſſiſque officijs mentis & corporis,imitatur vitium ebrietatis.Ægyptium limitẽ, quà ad Deltæ cacumen tendit,incolunt populi , qui momentum quo reparari mundum ad motus ferũt annuos,hoc ſtudio deprehendunt.Eligitur ſacer lucus , in quem cõpellunt animalia diuerſiſſimi generis.Ea,vbi ad ſtatutum modum cœleſtis vertigo prouecta eſt,ſenſus ſuos ſignificationis produnt ,quibus poſſunt.Alia vlulant,alia mugiunt,quædam ſtridẽt, quædam rugiunt,nonnulla ſimul confugiunt ad volutabra.Hoc argumentum illis eſt magiſterium ad indicium temporis deprehendendi.Ferũt ijdem populi à primis ſibi gentis ſuæ auis traditum, vbi nunc occaſus eſt,quondam ibi ortum ſolis fuiſſe.Inter Ægyptias vrbes numero portarum Thebæ nobiles , ad quas commercia Arabes vndique gentium ſubue-

hunt. Hîc regio Thebaica Abydos, & ipsa nobilis olim Memnonis regia, nunc Osyridis fano exculta. Alexandriam & operis ipsius magnitudo, & auctor Macedo nobilitant: Quam metatus Dinocrates architectus, secundum post conditorem inter memorabilia locum sortitus est. r Condita autem Alexandria est duodecima centesimáque Olympiade, L. Papyrio Spurij filio, C. Pętilio Caij filio cõsulibus Romanis, haud longè ab ostio Nili fluminis, quod Heracleoticon alij, alij Canopicon appellát. Est & Pharos, colonia à Cæsare dictatore deducta, ex qua facibus accensis nocturna dirigitur nauigatio. Nam Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, cęco mari, tribúsque tantùm canalibus admittit nauigantes, Tegamo, s Posidonio, Tauro. Hinc igitur in portibus machinas ad prælucẽdi ministeriũ fabricatas Pharos dicũt. Pyramides t turres sunt in Ægypto, fastigiatę vltra celsitudinem omnem quę fieri manu possit. Itaque mensuram vmbrarum egressæ, *nullas* habent vmbras. Nunc ab Ægypto u promoueamus stylum.

IN CAP. XXXV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Lucan. in 10.

Arcanum natura caput non protulit vlli,
Nec licuit populis paruum te Nile videre,
Amouítque sinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse tuos.

b V.C. *in Cæsarienſe spatium prorumpens.*

c Diodor. circiter DCC. esse dicit. Vide lib. 1. Ammian. 22.

d Dicta à sorore Cambysis, qui capta Ægypto eò vsque processit.

e V.C.*à cataracta vltima.*
f M.S.*humore supero agitatum.*
g V.C.*Lotam fluctuationem erumpere.*
h Vocem *argumentantes* M S.non habent.
i Eudoxi pallium linxit, significans ipsum quidem fore celebrem,sed breui moriturum. Fauorinus.
k M S.habent,*in Nilistatim gurgitem.* Corrigendum igitur, *in Nili statiuum gurgitem.* Scimus autem ex Varrone aquas statiuas perennibus opponi.
l V.C.*eualescit.*
m Aristot.lib.5.natur.animal.cap.33. dicit sexaginta ouaparere.
n Hæc,*alterum Ichneumonum genus,* vetus liber nō habet.
o M.S.*sed audacia eò vsquè pergit.*
p Veteris codicis autoritate,*non qualibet* deleri poterit.
q Glycyrrhiza herba famem & sitim sedat linguæ subdita.Plin lib.22.c.9.
r Imperij Alexandri anno 5.Diodor. vel secundùm Eusebium & Eutropium,anno 7.
s V.C.*Postideo,* vt quædam exemplaria Plinij.
t Mirum quòd earū vnam CCCLX ∞ hominum, annis XX,construxisse proditur:in raphanos, allium ac cepas, ∞ DCCC.talenta erogata. Alteram à Rhodope meretricula,Æsopi fabularum philosophi conserua quondam, & contubernali,meretricio quęstu exædificatam tradūt.Vide Herodot.Diodor.Strabonem,Melam,&c.
u V.C.*prouehamus.*

CAP. XXXVI.

De Arabia, & in ea thure,& myrrha,De Phœnice,ac Cinnamolgo auibus,déque Arabum moribus. De lapidum pret iosorum generibus.

VLtra Pelusiacum ostium Arabia est,ad Rubrū [a]pertinens mare,quod Erythræum ab Erythro rege,Persei & Andromedæ filio, [b] nō solùm à colore appellatum Varro dicit,qui affirmat in littore maris

istius fontem esse , quem si oues biberint , mutent vellerum qualitatem , & antea candidæ amittant quod fuerint vsque ad haustum,ac fuluo postmodũ nigrescant calore.Rubri autem maris Arsinoë oppidum.Verùm hæc Arabia procedit adusque illam odoriferam & diuitem terram , quam Catabanes & Scenitæ tenent. Arabes nobiles monte Casio. Qui Scenitæ causam nominis inde ducunt ,quòd tentorijs succedunt,,nec alias domos habent. Ipsa autem tentoria cilicina sunt , ita nuncupant velamenta è caprarum pilis texta.Præterea carnibus suillis prorsus abstinent.Sanè hoc animalis genus, si inuectum illò fuerit,moritur illico.Hanc Arabiam Græci εὐδαίμονα,nostri beatam nominauerunt.Habitatur colle manufacto inter flumen Tigrin,& flumen Eulęum, quod ortum à Medis tam puro fluore inclytum est, vt inde omnes reges non alias quàm eius aquas bibant.Eudęmonem non frustra cognominatam hinc capessas , quòd præter odores,quos creat plurimos, sola thus mittit,nec tamen vniuersa.Nam in medio eius sunt Atramitæ pagus Sabæorum , à quo octo mãsionibus regio Thurifera disterminatur. Arabia[c] appellata est,id est sacra.Hoc enim significari interpretantur.Virgulta hæc non sunt publica,sed ,quod inter Barbaros nouum,in ius posterorum per successiones transeunt familiarum.Ergo quicũque dominatum istius tenent nemoris , Arabicè sacri vocantur.Iidem illi cum lucos istos vel metunt , vel incidunt,non funeribus interfunt ,non congressionibus fœminarum polluuntur.Hanc arborem priùs quàm penitus fides proderetur,alij lentisco,alij terebintho comparabãt;vsque dum libris quos Iuba rex scripsit

ad

ad Cæsarē Augusti filium, palam fieret, intorto eam esse vimine, ramis ad aceris qualitatem, Amygdalæ modo succum fundere, incidi ortu canis flagrantissimis solibus. In ijsdem saltibus myrrha prouenit, cuius radices vt vitium rastris proficiunt, ablaqueationibus gaudent. Nudatę, pinguiore fluunt lachryma. Sponte manans pretiosior ex ea sudor est: elicitus corticis vulnere, vilior iudicatur. Codex in vertiginē flexus, & spinis hispidus: folium licèt crispius, oliuę tamen simile. Maxima altitudine extollitur ad quinque cubita proceritatis. Arabes sarmentis eius ignes fouent, quorum fumo satis noxio, nisi odore cremati Storacis occurrant, plerunque insanabiles morbos contrahunt. Apud eosdem nascitur [d] auis Phœnix, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis extantibus, cristatis faucibus, circa colla fulgore aureo, postera parte purpureus, absque cauda, in qua roseis pennis cæruleus interscribitur nitor. [e] Probatū est quadraginta & quingētis eū durare annis. Rogos suos struit Cinnamis, quos prope Panchaiā concinnat, in Solis [f] vrbem strue altaribus superposita. Cum huius vita, magni anni fieri conuersionē, rata fides est inter auctores, quanuis plurimi eorum magnum annū non quingentis & quadraginta, sed duodecim millibus noningentis quinquagintaquatuor annis constare dicant. Quinto itaque Plautio, & Sextio Papinio Consulibus, Ægyptum Phœnix inuolauit: captúsque anno octingentesimo vrbis conditæ, iussu Claudij principis in comitio publicatus est. Quod gestum, præter censuram quæ manet, actis etiā vrbis cōtinetur. Cinnamolgus perinde Arabię auis in excellentissimis lucis texit nidos è fruticibus

Cinnamorum:ad quos quoniam non est peruenire propter ramorum altitudinem,& fragilitatem , accolæ illas congeries plumbatis petunt iaculis,deiectaſque pretijs vendunt ampliori bus,quòd hoc Cinnamum magis quàm aliud mercatores probent. Arabes[h] longe lateque diffusi,diuersis moribus viuũt & cultibus.Plurimis crines intonsi,mitrata capita, redimitu pari,pars rasa in cutem barba. Commercijs student,aliena non emunt,vendunt sua.Quippe & syluis,& mari diuites.Vmbræ , quæ nobis dextræ sunt,illis siniſtrę.Pars eorum,quibus asper est victus angues edunt:nulla illis vel animi vel corporis cura, ac propterea ὀφιοφάγοι nominantur.Ex istius littoris sinu,Polycrati regi aduecta[i] Sardonyx gemma,prima in orbe nostro luxuriæ excitauit facem. Nec multum de ea differendum puto , adeo Sardonyx in omnium venit notitiam.Superficies eius probatur, si meraciùs rubeat : arguitur , si fuerit feculentior, si medietas circuitur limite candicante.Optima est, si nec calorem suum spargat in proximum ,nec ipse ex altero mutuetur.Reliqua nigro finiuntur . Quod si traluceat, vitio vertitur:si perspicuitatem arceat, proficit ad decorem.Et Melochitem Arabs inuenit, virentem crassiùs quàm Smaragdus,contra infantũ pericula ingenita vi resistentem. Inuenit & Iridem in mari Rubro,sicut Crystallum sexangulatam ,quæ radijs icta solis , rutilo aëris repercussu , cælestis arcus ex se iacit speciem. Androdamantem ijdem legunt Arabes nitoris argentei , lateribus æqualiter quadris,quem de Adamante nõnihil mutuatum putes.Datum illi nomen ex eo censent,quòd animorũ calentium mollit impetus,& tumẽtes refrenat iras.

Prę-

Pæderotem etiam Arabicũ inde ſumimus. Arabica aſpectu eburnea eſt, radi abnuit. Contra neruorum moleſtias prodeſt habentibus; in Pæderote congruit quicquid eximium eſt, quadam decoris prærogatiua. Cryſtallinum lucet, rubet purpuram, in orarum extimis corona crocea velut è liquido renitente. Hac ſuauitate oculos afficit, viſum illicit, detinet intuentes, hac etiá gratia Indis placet. Hoc Arabię ſat eſt: hinc ad Peluſium repatriemus.

IN CAP. XXXVI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a V.C. *pertingens.*

b Philoſtratus lib. 3. hoc mare admodum cæruleum eſſe dicit, Arrianus lib. 8. ait in rubro mari inſulam eſſe, in qua, authore Nearcho, ſepulchrum extat primi qui inſulam tenuit, qui de ſuo nomine mare rubrum vocauit.

c Alij aliter: quidam ἀπὸ τῦ ἀραιῦ, καὶ βίυ, à vitę mollitie. Virgil. 1. Georg,

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

d Philoſtratus lib. 3. refert Iarcam hæc de Phœnice Apollonio retuliſſe. Auem quoque, inquit, Phœnicem eſſe percredimus, quæ quingenteſimo quoque anno in Ægyptum veniens, hanc ipſam Indiam ſuperuolat; aiunt autem vnicam tantùm hanc auem eſſe, & ex ſe radios emittere, atque aurī colore fulgere, magnitudine verò, formáque Aquilæ, in nido conſidere, quem prope Nili fontes ipſamet ſibi conſtruit. Hęc verò quę de ipſa decantant Ægyptij, quo pacto in Ægyptum deferatur, ipſi etiam Indi teſtificantur ſermoni conſentientes, qui dicunt, Phœnici liqueſcenti lugubres hymnos decantari oportere. Phœnix autem vox Arabica eſt, vnum denotans.

e Herodot. & Mela ferè conſentiunt. Tacitus lib 5. hiſt. vulgatum ait D. ſpatium. Sunt qui ∞ CCCCLX. Lactant. Claud Martial. ∞

f Heliopolim vocat Diodor. lib. 2.

g V.C. habet *fuſtibus.*

h Arrian.lib.7.Arabiæ magnitudinem haud minorem esse,quàm Indiæ referri tradit.Euseb.cap.7. lib. 4. de prępar. ait,Arabibus morem fuisse vsque ad Adriani Principis tempora annis singulis puerum immolandi.Idem cap.8.lib.6. Apud eosdem adulteras omnes fœminas interimi,suspectas verò solummodo puniri. Arrian.li. 7. annotat eos duos tãtùm deos colere, cælũ propter stellas;& Dionysium, quòd exercitum contra Indos duxerit.

i Herodot.in Thalia *smaragdum* ait.

CAP. XXXVII.

De Casio monte, De Pompeij magni sepulchro, Deque Ioppe oppido.

A Pelusio Casius mons est, & delubrum Iouis Casij,atque ita Ostracinæ locus Põpeij [a] magni sepulchro inclytus.Idumæa inde incipit, palmis opima. Deinde Ioppe oppidum antiquissimũ orbe toto, vtpote ante inundationem terratum conditũ. Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet, quam expositam beluæ non irritus rumor circuntulit. Quippe *ossa* monstri illius M.Scaurus inter alia miracula in ædilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est. Mensurę quoque veracibus libris continentur,scilicet quòd costarum longitudo excesserit pedes quadraginta,excelsitas elephantis fuerit,Indicis eminẽtior.Porro verticuli spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergressi:

a Appian.in 2.ciuil.Plutarch.in Pomp:Strab.16. Lucan. 8.Appian. hunc versiculum sepulchro inscriptum dicit,

Templipondus erat,modica qui conditur vrna.

CAP. XXXVIII.

De Iudæa,in ea de fluminibus,& lacubus, De Balsamo,De Sodomo, & Gomorro, De Essænis gentibus.

Iudæa

IVdæa illustris est aquis, sed natura non eadem aquarũ omniũ. Iordanis amnis eximiæ suauitatis, [a] Peneade fonte demissus, regiones prętersluit amœnissimas, mox in Asphaltiten lacum mersus, stagno corrumpitur. Qui Asphaltites gignit bitumen. Animal non habet, nihil in eo immergi potest. Tauri etiam Camelique impunè ibi fluitant. Est & lacus Genesara extensus passuum sedecim millibus, circũseptus vrbibus plurimis, & celebribus, ipse par optimis. Sed lacus Tiberiadis his omnibus anteponitur, salubris ingenuo haustu, & ad sanitatem vsu efficaci. Iudææ caput fuit Hierosolyma, sed excisa est. Successit Hiericus, & hæc desiit, Artaxerxis bello subacta. Callirhoë Hierosolymis proximus fons, calore medico probatissimus, & ex ipso aquarum præconio sic vocatus est. In hac terra tantùm Balsamum nascitur, quæ sylua intra terminos viginti iugerum vsque ad victoriam nostram claudebatur. At cùm Iudæa potiti sumus, ita luci illi propagati sunt, vt iã nobis latissimi colles sudent Balsama. Similes vitibus stirpes habent, malleolis digeruntur, rastris nitescunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis sempiternò inumbrãtur. Lignum caudicis attrectatũ ferro, sine mora moritur. Eapropter aut vitro, aut cultellis osseis, sed in solo cortice artifici plaga vulneratur, ex qua eximiæ suauitatis gutta manat. Post lachrymam secũdum in pretiis locum poma obtinent, cortex tertium, vltimus honos ligno. Longo ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quẽ de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi [b] oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum. Apud quę po-

mum gignitur,quod habeat ſpeciem licèt maturitatis,manditamen non poteſt.Nam fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet,quæ vel leui tactu preſſa, fumum exhalat, & fathiſcit in vagum puluerem. Interiora Iudææ quæ occidentem contuentur,Eſſæni tenent,qui prædiți memorabili diſciplina,receſſerũt à ritu gentiũ vniuerſarum,maieſtatis(vt reor)prouidẽtia ad hũc morem deſtinati.Nullæ ibi fœminæ. Venere ſe penitus abdicarunt.Pecuniá neſciunt.Palmis victitát.Nemo ibi naſcitur,nec tamẽ deficit hominũ multitudo.Locus ipſe addictus pudicitię eſt. Ad quẽ plurimi licèt vndique gentium properent,nullus admittitur, niſi quem caſtitatis fides,& innocentiæ meritum proſequatur. Nam qui reus eſt vel leuis culpæ, quanuis ſumma ope adipiſci ingreſſum velit,diuinitus ſummouetur.Ita per immenſum ſpatium ſeculorum(incredibile dictu)æterna gens eſt ceſſantibus puerperijs.Engadda oppidum infra Eſſænos fuit,ſed *exciſũ* eſt. Verùm inclytis nemoribus adhuc durat decus, lucíſque palmarum eminentiſſimis nihil vel æuo, vel bello derogatum.Iudææ terminus Maſſalla caſtellum.

IN CAP. XXXVIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Alij Paneadem vocant. Ex Stephano autem legẽdum arbitror,Paniade,inquit ille, ἔστι δὲ καὶ Πάνιον ἐπίλοφον Παλαιστίνης, ἀφ' οὗ ἐκρεῖ ὁ ποταμὸς Ιορδάνης.

b Hæc.teſte D.Hieronymo,cæteris erant potiora

CAP.

CAP. XXXIX.

De Scythopoli oppido, & monte Casio.

TRanseo Damascum, Philadelphiam, Raphanam.[a] Scythopolis primos incolas, & auctorem dabo. Liber pater cùm humo nutricem tradidisset, condidit hoc oppidum, vt sepulturæ titulum etiam vrbis mœnibus ampliaret. Incolę deerant: è comitibus suis Scythas delegit, quos vt animo firmaret ad promptam resistendi violentiam, præmium loci nomen dedit. In Seleucia alter Casius mons est Antiochiæ proximus, cuius è vertice vigilia adhuc quarta conspicitur globus Solis, & breui corporis circumactu radijs caliginem dissipantibus illinc nox, hinc dies cernitur. Talis è Casio specula est, vt lucem prius videas, quàm auspicetur dies.

a Hæc omnium maxima fuit in Decapolitana regione. Vide Plin. lib. 5. cap. 18.

CAP. XL.

De Euphrate & Tigride fluminibus, déque varijs gemmarum generibus.

EVphratem maior fundit Armenia, ortum supra Zimaram sub radicibus montis quem Capoten accolæ nominant, Scythis proximum. Hic receptis in se aliquot amnibus conualescit, & stipatus cõuenis aquis, luctatur cùm Tauri montis obiectu, quem apud[a] Eligeam scindit, resistat licèt duodecim millibus passuum latitudine: longísque excursibus dextra Comagenem, Arabiam læua relinquit. Deinde prælabens plurimas gentes, Babyloniam quondã Chaldæorum caput diuidit. Mesopotamiam opimat an-

nuæ inundationis exceſſibus,ad inſtar Ægyptij amnis terris ſuperfuſus,inuecta ſoli fœcunditate. liſdé fermè temporibus,quibus Nilus,exit ſole ſcilicet in parte Cancri viceſima conſtituto. Tenuatur cùm iá Leone decurſo, ad extima Virginis curricula facit tranſitum.Quod gnomonici ſimilibus parallelis accidere contendunt,quos pares, & cæli, & terrarum poſitione æqualitas normalis efficit lineæ. Vnde apparet iſta duo flumina ad modulum eiuſdem perpendiculi conſtituta, licet è diuerſis manent plagis, eaſdem íncrementi cauſas habere.De Tigride quoque hoc loco dicere par eſt.In Armeniæ maioris regione caput tollit mirè quàm lucido conſpicuóque fonte in loco edito,qui Elongoſine nominatur. Nec tamen ab exordio ſtatim totus eſt. Primùm pigrè fluit,non cum ſuo nomine.At cum ſines Medorum inuectus eſt,Tigris ſtatim dicitur. Ita enim Medi nominant ſagittam.Influit in [b]Arethuſam lacum omnia pondera ſuſtinentem. Cuius piſces nunquam ſe alueo Tigridis immiſcent, ſicut nec amnici piſces in ſtagnum tranſeunt Arethuſæ,per quem diſſimilis colore,& volucri meat curſu. Mox Tauro reſiſtente in profundum ſpecum mergitur, quem ſubterlabés in altero eius latere apud Zoroandam emicat,vluas & purgamenta plurima ſecum trahens. Deinde identidem abſconditur,rurſuſque redditur. Adiabenos,Arabaſque præterfluit.Meſopotamiam amplectitur.Amnem nobiliſſimum [c] Choaſpem accipit, Euphratem defert in ſinum Perſicum. Quæcunque Euphratẽ bibunt gentes,diuerſo nitent lapide.Zmilaces in ipſo Euphratis alueo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconneſij, niſi quòd in

medio

medio vmbilico lapidis istius glaucum velut oculi pupilla internitet. Sagda à Chaldæis ad nos vsq; profluit, haud facilis repertu, nisi (vt perhibent) ipsa capessendam se daret. Nanque ingenita spiritus efficacia, supermeantes naues è profundo petit, & carinis ita tenaciter adcorporatur, vt nisi abrasa parte ligni, ægrè separetur. Ea Sagda apud Chaldæos propter effectus quos ex ea sciunt, habetur loco principe, cæteris propter gratiam magis placet iucundissimè virens. Myrrhites Parthis familiaris est. Hunc si visu æstimes, Myrrhæ color est, & non habet quod afficiat aspectum. Si penitus explores, & attritu incites ad calorem, spirat Nardi suauitatem. In Persidelapidum tanta copia est, tantáque diuersitas, vt longũ penè sit ipsis vocabulis immorari. [d] Mithridax sole percussa, coloribus micat varijs. Tecolithos nucleo oliuæ similis, spernitur cùm videtur, sed remedijs bonus vincit aliorum pulchritudinem. Solutus quippe, & haustus, pulsis calculis, renum dolores, ac vesicæ leuat. Ammochrysos arenis auro intermixtis, nunc bractearum, nunc pulueris habet quadrulas. Ætites & fuluus est, & tereti positione, alterum lapidem intrinsecus cohibens, cuius crepitu sonorus est cum mouetur, quamlibet tinnitum illum non internum scrupulum facere, sed spiritum sapientissimi dicant. Hũc Ætitem [e] Zoroastres præfert omnibus, maximámque illi tribuit potestatem. Inuenitur aut in nidis aquilæ, aut in littoribus oceani. In Persidetamé plurimus. Subnexus spem vteri defendit à fluxibus abortiuis. Pyrrhites fuluus est, tenerique se vehementiùs nõ sinit: ac siquando arctiore manu premitur, digitos adurit. Chalazias grandinis & cando-

rem præfert,& figuram ,duritia robuſtiſſima,& inuicta.Echites vipereas habet maculas.Dionyſias fuſcus eſt,rubentibus notis ſparſus.Idem ſi aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, & quod in illo odore mirificum eſt,ebrietati reſiſtit.Gloſſopetra deficientibus lunis cœlo cadit, linguæ ſimilis humanæ,non modicæ(vt Magi ferunt)poteſtatis , qui ex ea lunares motus excitari putant.Solis gemma percandida eſt ad ſpeciem fulgidi ſyderis , rutilóſque ex ſe iacit radios.Veneris crinis nitet nigro , internis ductibus oſtentans ruforum crinium ſimilitudinem.Selenites tranſlucet fulgore candido,melleóque , continens lunæ imaginem,qué iuxta curſum aſtri ipſius perhibent diebus ſingulis vel minui vel augeri. Meconites papauera exprimit.Myrmecites reptantis formicæ effigie notatur.Chalcophtõgos reſonat vt pulſata æra.Pudicè habitus,ſeruat vocis claritatem.Siderites à contemplatione ferri nihil diſſonat , verùm maleficus quoquò inferatur,diſcordias excitat.*Phlo*gites oſtentat intra ſe quaſi flammas æſtuantes.Anthracias coruſcat velut ſcintillantibus ſtellis. Enydros exudat,vt clauſam in eo putes fontanam ſcaturiginem.

IN CAP. XL. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Vetus liber habet *Elegeam*.Plin *Elegiam.*

b Plin. *Arethiſſam*.V.C.*Arethiſam* habet. Strabo lib. 11.Arſenam & Thonitim vocat.

c Huius,vt & Eulæi fluminis aquam Parthorum reges bibunt.

d Apud Plin.Mitrax legitur,à Mitra , id eſt Sole , quem Perſæ ita vocant.

e Græciæ

e Græci aquilam ἀετὸν dicunt. Philostrat.lib.2. Aues quoque,inquit,quis non videat pullorum causa multa facientes,velut aquilas ac ciconias, quæ nunquam nidos extruunt,quin lapides illis imponant.Illa quidem à se aquilinũ vocatum,hæc Lychnitum,propterea quòd facem adhibeat, vt oua fœtum producant, & serpentes nidis non appropinquent.

CAP. XLI.

De Cilicia,& antro Coricio,déque monte Tauro.

CIliciam,de qua agitur,si vt nunc est, loquamur, derogasse videbimur fidei vetustatis. Si terminos sequimur quos habuit olim,absonum est à contemplatione rerum præsentium. Ergo inter vtramque culpam,factu optimum est, amborum temporum statum persequi. Cilicia antea vsque ad Pelusium Ægypti pertinebat, Lydiis, Medis,Armeniis, Pamphylia,Cappadocia sub imperio Cilicum constitutis.Mox ab Assyriis subacta,in breuiorem modũ scripta est.Plurima iacet campo, sinu lato recipiens Issicum mare,à tergo montium Tauri & Amani iugis clausa.A Cilice nomen trahit,quem ætas pristina penè vltra æuum memoriæ abscondit. Hunc aiũt Phœnice ortum,qui antiquior Ioue de primis terræ alumnis habetur. Matrem vrbium habet [a] Tarson, quam Danaës proles nobilissima Perseus locauit. Hanc vrbem intersecat Cydnus amnis. Hunc Cydnum alij præcipitari Tauro, alij deriuari ex alueo Choaspis tradiderunt. Qui Choaspes ita dulcis est, vt Persici reges,quandiu intra ripas Persidis fluit,solis sibi ex eo pocula vendicarint,& cùm eundum foret peregrè,aquas [b] eius secũ vectitarint. Ex illo pa-

rente Cydnus miram trahit suauitatem. Quicquid candidum est, cydnum gentili lingua Syri dicunt, vnde amni huic nomen datum. Tumet vere cùm niues soluuntur, reliqua parte anni tenuis est, & quietus. Circa Corycum Ciliciæ crocum plurimum, optimúmque: det licèt Sicilia, det Cyrena, det & Lycia, hoc primum est. Spirat flagrantiùs, colore plus aureo est, succi ope citiùs proficit ad medelam. Ibi Coricus oppidum est, & specus, qui montem impositum mari à summo cauat vertice, patulus hiatu ampliſſimo. Nam deiectis lateribus in terræ profundum, nemoroso orbe amplectitur mediam manitatem, virens introrsus lucis pendentibus. Descensus in eum per duo millia & quingenta passuum, non sine largo die, hinc inde fontium assidua scaturigine. Vbi peruentum ad ima primi sinus, alter rursus specus panditur. Quod antrum latis primùm patet faucibus, postmodum in processu per angustias obscuratur. In eo sacrum est Iouis fanum, in cuius recessu intimo Typhonis Gigantis cubile positum accolæ credũt. Soloë antiquum oppidum Ciliciæ fuit, patria [c] Chrysippi Stoicæ sapientiæ potentissimi, quod à Tigrane Armenio subactum, & [d] diu post Pompeiopolim deuictis Cilicibus Cneus Magnus cognominauit. Mõs Taurus ab Indico primùm mari surgit, deinde à scopulis Chelidoniis inter Ægyptiũ & Pamphylium pelagus obiectus septentrioni dextero latere, læuo meridianæ plagæ, occidenti obuersus fronte profusa. Palàm est terras eum continuare voluisse penetrato mari, nisi profundis resistentibus extendere radices suas vetaretur. [e] Denique qui ratiocinantur de naturis locorum, tẽtasse eum omnes exi-

exitus promontoriis probant. Nam quoquouersum mari alluitur, procedit in prominentias: sed modò intercluditur Phœnicio, modò Pontico sinu, interdū Caspio vel Hyrcano, quibus renitentibus subinde fractus, contra Mæoticum lacum flectitur, multísq; difficultatibus fatigatus Riphæis se iugis annectit. Pro gentiū ac linguarū varietate plurifariā nominatus: apud Indos Imaus, mox Paropanisus, Choatras apud Parthos, post Niphates, inde Taurus, ac vbi in excellentissimam consurgit sublimitatem, Caucasus. Interea etiam à populis appellationem trahit. A dextro latere Caspius dicitur, vel Hyrcanus, à læuo Amazonicus, Moschicus, Scythicus. Ad hæc vocabula habet alia multa. Vbi dehiscit hiulcis iugis, facit portas, quarum primæ sunt Armeniæ, tum Caspiæ, pòst Ciliciæ. In Græciam verticem exerit, vbi Ceraunius prædicatur. A Cilicæ finibus f Africum limitem despicit. Quantum meridiem videt, Sole inæstuat. Quicquid Septentrioni oppositum est, vento tunditur, & pruina. Quod syuestre est, efferatur plurimis bestiis, & leonibus immanissimis.

IN CAP. XLI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Strab. lib. 14. Arrian. 2. Euseb. lib. temporum, scribunt Sardanapalum vna die condidisse, idque eius monumento Assyriis literis inscriptum, SARDANAPALVS ANACINDARAXIS FILIVS, ANCHIALEM ET TARSVM VNA DIE CONDIDIT. Cum Solino autem conuenit Ammianus lib. 14. & Lucan. 3. Ex hac fuerunt plurimi doctissimi viri, ex Stoicis Antipater, Archelaus & Nestor, & duo Athenodori, alter Catonis familiaris, alter Cæsaris Dictatoris Præceptor.

b Decoctas scilicet,& in argentea vasa diffusas. Herodot. in 1.

c Lactant.cap.12.lib.3.tradit Chrysippum,cùm æternas esse animas suspicaretur,tãquam in cęlum migraturus esset, sibi manus intulisse.

d V.C.habet *& diu solum*,quasi desolatum,vt testimonio Strabonis patet.

e MS. *Denique qui periclitantur naturas locorum, tentasse illum omnes exitus promontoriis experiuntur.*

f Antiquus meus Codex habet, *Asiaticum limitem dispescit.*Et paulò post:*quo sylvestris est,efferatur multis bestiis.*

CAP. XLII.

De Lybia,& Chimæræ monstri fabula.

QVod in Campania Vesuuius, in Sicilia Ætna, hoc in Lycia mons Chimæra est. Hic mõs nocturnis æstibus fumidum exhalat. Vnde fabula triformis mõstri in vulgum data est, quod Chimæram animal putauerunt.Et quoniam natura ibidẽ subest ignea, Vulcano vrbem proximam Lycij dicarunt, quam de vocabulo sui nominis Hephæstiam vocãt.

a Olympus quoq; inter alia ibi oppidum fuit nobile,sed intercidit:nunc castellum est,infra quod aquę regiæ ob insigne fluoris spectaculo sunt visentibus.

a Plin.& Martianus aiunt, Lyciam quondam habuisse oppida 70.nunc inquiunt 36.sunt.

CAP. XLIII.

De Asia minori. De Ephesiæ Dianæ templo. De Alexandri Magni ortu. De inclytis Asiæ scriptoribus. De Phrygia. De Bonaso quadrupede. De Homeri & Hesiodi temporibus. De Memnoniis auibus. De Chamæleonte fera. De Ciconiis: déque Galatarum origine.

Sequitur

SEquitur Asia: sed non eam Asiam loquor, quæ in tertio orbis diuortio terminos amnes habet, ab Ægyptio mari Nilum, à Mæotico lacu Tanaim: verùm eam quæ à Telmeso Lyciæ incipit, vnde etiá Carpathius auspicatur sinus. Eam igitur Asiam ab oriente Lycia includit & Phrygia, ab occidente Ægæa littora, à meridie mare Ægyptium, Paphlagonia à septétrione. Ephesus in ea vrbs clarissima est. Epheso decus [a] templum Dianę, Amazonũ fabrica, adeo magnificum, vt Xerxes cum [b] omnia Asiatica templa igni daret, huic vni pepercerit. Sed hęc Xerxis clemẽtia sacras ædes non diu à malo vindicauit. Namq; Herostratus, vt nomen memoria sceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu sua struxit, sicut ipse fassus est, voto adipiscendę famæ latioris. Notatur ergo eadem die conflagrauisse templũ Ephesi, qua Alexander Magnus Pellæ natus est. Qui oritur, vt Nepos edidit, Marco Fabio Ambusto, Tito Quintio Capitolino consulibus, post Romam cõditam anno trecentesimo nonagesimo nono. Id cũ postmodum ad cultum augustiorem Ephesij reformarent, faber operi Dinocrates præfuit, quem Dinocratem Alexandri iussu Alexandriam in Ægypto metatum suprà exposuimus. Nusquam orbe toto tã assiduos terrę motus, & tam crebras vrbium demersiones, quàm in Asia esse, cladibus Asiaticis patuit, cùm Tiberio principe vrbes [d] duodecim simul vnâ ruina occiderint. Ingenia Asiatica inclyta pergentes fuere. Poëtæ Anacreon, idem Mimnermus, & Antimachus, deinde Hipponax, deinde Alcæus, inter quos etiam Sappho mulier. At historiæ conditores Xanthus, Hecatæus, Herodotus, cum quibus

Ephorus,& Theopompus. Namq; de ſeptem ſapientia prædítis, Bias, Thales, Pittacus, Cleáthes Stoicæ ſectæ eminentiſſimus, Anaxagoras naturę ludex, Heraclitus etiam ſubtilioris doctrinæ arcanis immoratus. Aſiam excipit Phrygia, in qua Celænæ, quæ antiquato priori nomine in Apamæam tranſiére, oppidum à rege Seleuco poſtmodum conſtitutũ. illic Marſyas ortus, illic & ſepultus. Vnde qui proximat fluuius, Marſyas dicitur. Nam ſacrilegi certaminis factum, & audaces in deum tibias teſtatur nô procul cum fonte vallis, quæ euentum geſtæ rei ſignat, & ab Apamæa decem millibus paſſuum ſeparata, Aulocrene vſque adhuc dicitur. Ex arce huiuſce oppidi Mæander amnis caput tollit, qui recurrétibus ripis flexuoſus inter Cariam & Ioniam præcipitat in ſinum qui Miletum diuidit & Prienem. Ipſa Phrygia Troadi ſuperiecta eſt, aquilonia parte Galatiæ collimitata, à meridiana Lycaoniæ, Pyſidiæ, Mygdoniæque contermina. Eadem ab oriente vicina Lydiæ, à ſeptentrione Myſiæ, Cariæ à parte qua dies medius eſt, mons Lydiæ Tmolus croco florentiſſimus, amnis Pactolus, quem aurato fluore incitum, aliter χρυσορόαν vocant. In his locis animal naſcitur, quod Bonaſum dicunt, cui taurinum caput, ac deinceps corpus omne tantùm: iuba equina, cornua autem ita multiplici flexu in ſe recurrétia, vt ſiquis in ea offendat, non vulneretur. Sed quicquid præſidij mõſtro illi frons negat, aluus ſufficit. Nam cùm in fugam vertitur, proluuie citi ventris ſimum egerit per longitudinem trium iugerum, cuius ardor quicquid attigerit, adurit. Ita egerie noxia ſummouet inſequentes. Miletos Ioniæ caput, Cadmi olim domus,

domus, ſed eius qui primus inuenit proſæ orationis diſciplinam. Non longè Epheſo Colophon ciuitas, nobilis oraculo Clarij Apollinis. Vnde haud procul Mimas mons ſurgit, cuius vertices e de nubibus ſuperuolantibus futuræ tempeſtatis ſignificant qualitatem. Caput Mæoniæ Sypilus excipit, Tantalis antea dicta, & in illam vocabuli memoriam orbitatibus data Niobe. Smyrnam Melas circumfluit inter flumina Aſiatica facilè præcipuus amnis. Smyrnęos vero campos fluuius Hermus ſecat, qui ortus Dorylao Phrygiæ, Phrygiã ſcindit à Caria. Hunc quoque Hermũ fluctibus aureis ęſtuaſſe antiquitas credidit. Smyrna, vnde præcipuè nitet, Homero vati patria extitit, qui poſt Ilium captum anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecũdo humanis rebus exceſſit, Agrippa Syluio Tyberini filio Albæ regnãte, anno ante vrbẽ cõditã centeſimo ſexageſimo. Inter quẽ & Heſiodũ poëtã, qui in auſpiciis Olympiadis primæ obiit, cẽtũ trigintaocto anni interfuerũt. In Rhetęo littore Atheniẽſes & Mitylenęi ad tumulũ ducis f Theſſali Achilleon oppidũ condiderũnt, quod propemodum interiit: deinde interpoſitis quadraginta fermè ſtadiis, in altero cornu eiuſdem littoris ob honorem Salaminij Aiacis alterum oppidum, cui Æãtio datũ nomen, Rhodij extruxerũt. At iuxta Iliũ g Memnonis ſtat ſepulchrum, ad quod ſempiternò ex Æthiopia cateruatim aues aduolãt, quas Ilienſes Mẽmnonias vocant. h Cremutius auctor eſt has eaſdę anno quinto in Æthiopia cateruatim coire, & vndiq; verſum quouſquã gẽtiũ ſint, ad regiã Mẽmnonis conuenire. Mediterranea, quæ ſunt ſupra Troadis partẽ, Teutrania tenet regio, quæ prima Miſorum fuit pa-

tria. Perfunditur Teutrania Caico flumine. Per omnẽ Asiá Chamæleon plurimus, animal quadrupes, facie, qua lacertæ, nisi crura recta & lõgiora ventri iũgerẽtur, prolixa cauda, eadémq; in vertiginẽ torta, hamati vngues subtili adũcitate, incessus piger, & ferè idẽ qui testudinũ motus, corpus asperũ, cutẽ qualẽ in Crocodilis deprehẽdimus, subducti oculi, & recessu concauo introrsũ recepti, quos nunquá nictatione obnubit. Visum deniq; nõ circũlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intẽtat. Hiatus ęternus ac sine vllius vsu ministerio: quippe cùm neque cibũ capiat, neq; potu alatur, nec aliméto alio, quàm haustu aëris viuat. Calor varius, & in mométo mutabilis, ita vt cuicunq; rei se coniunxerit, concolor ei fiat. Calores duo sunt quos fingere nõ valet, rubrus & candidus: cæteros facilè mentitur. Corpus penè sine carne, vitalia sine liene, nec nisi in corculo pauxillum sanguinis deprehẽditur. Latet hyeme, producitur vere. Impetibilis est coraci, à quo cùm interfectus est, victorem suum perimit interemptus. Ná si vel modicũ ales ex eo ederit, illicò moritur. Sed Corax habet præsidiũ ad medelam, natura manũ porrigente. Ná cùm afflictũ se intelligit, sumpta frõde laurea recuperat sanitatẽ. Pythonis Come est in Asia locus in cãpis patentibus, vbi primo aduẽtus sui tẽpore Ciconiæ aduolãt, & eã quæ vltima aduenerit, laniãt vniuersę. Aues istas ferũt linguas nõ habere, verũ sonũ quo crepitãt, oris potius quàm vocis esse. Eximia illis inest pietas. Etenim quãtum tẽporis impẽderint fœtibus educandis, tãtũ & ipsæ à pullis suis inuicem alũtur. Ita enim impensè nidos fouẽt, vt incubitus assiduitate plumas exuant. Noceri eis, omni-

omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in Thessalia vel maximè, vbi serpentum inmmanis copia est, quos dum escandi gratia insectantur, regionibus Thessalicis plurimum mali detrahunt. Galatiam primis seculis priscæ Gallorum gentes occupauerũt. Tolistobogi, & Votuti, & [k]Ambaitæ, quæ vocabula adhuc permanent, quanuis Galatia vnde dicta sit, ipso sonat nomine.

IN CAP. XLII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Factũ ccxx. annis à tota Asia: vniuerso tẽplo lõgitudo cccxxv. pedum: latitudo ccxx. columnæ ccxxvi. à singulis Regibus factæ, ex iis xxxvii. cælatæ.

b Hoc apud Persas in more fuisse testatur Herodotus.

c Cùm nimirum Diana domo digressa, partui Olympiadis adesset.

d Euseb. lib. temporum ponit 13. meminit etiam Strabo in fine 12.

e Homer Odyss. γ vocat Μίμαντα ἀνεμόεντα.

f Lege Diodorũm Siculum lib. 17.

g Diodorus lib. 3.

h MS. *Crumentius.*

i de Chamæleonte plura vide apud Aristot. lib. 2. de natur. animal. cap. 11. & Gellium lib. 10. ca. 12. Chamæleontem talem esse, qualem hic Solinus & Aristoteles describunt, deprehendi in eo, quem apud clarissimum D. Michaëlem Riberium, Legati Regij apud Heluetios Archiatrum, Soloduri, cum comite meo præstãtissimo viro D. Iohann. Steckio, vidi.

k Habent pleraque exemplaria *Ambiani.* Ast illi populi, non Phrygię, sed Belgicę Gallię sunt, vt præter Ammianum Cæsar libro 1. annotat. Ambaitarũ in Phrygia meminit Stephanus. Plin. lib. 5. cap. 22. Ambituos vocat.

CAP. XLIII.

De Bithynia, & Hylæ raptu, déque Hannibalis exitu, ac sepulcro.

BIthynia in Ponti exordio ad patrem solis oriẽtis, aduersa Thraciæ, opulenta, ac diues vrbium, à fontibus Sangarij fluminis primos fines habet, antè Bebricia dicta, deinde Mygdonia, mox à Bithyno rege Bithynia. In ea Prusiadem vrbem prætermeat Hylas flumen, & alluit Hylas lacus, in quo resedisse credunt delicias Herculis Hylam puerum Nymphis rapinam, in cuius memoriam vsque adhuc solenni cursitatione lacum populus circuit, & Hylam voce clamant. In Bithynio quoque agro Libyssa locus Nicomediæ proximus, sepulcro Hannibalis famæ datus, qui post Carthaginense iudicium transfuga ad regem Antiochum, deinde post Antiochi apud Thermopylas pugnam tam malam, fractúmque regem fortunæ vicibus, in hospitium Prusiæ deuolutus, ne traderetur Tito Quinto ob hanc causam in Bithyniam misso, captiuúsque Romam veniret, veneni mali poculo animam expulit, & ab Romanis se vinculis morte defendit.

CAP. XLV.

De ora Pontica.

IN ora Pontica post Bosphori fauces, & Rhesum amnem, portúmque Calpas, [a] Sagaris fluuius ortus in Phrygia, dictúsque à plerisque Coralius, exordium facit Maryandini sinus, in quo oppidum Heraclea oppositum Lyco flumini: & Acone portus, qui prouentu malorum graminum vsque eo celebris est, vt noxias herbas aconita illinc nominemus. Proximus inde [b] Acherusius specus, quem foraminis cæci profundo adusque inferna aiunt patere.

CAP.

IN CAP. XLV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Ouid.de Ponto,

Huc Lycus, huc Sagaris, Peniúsque, Hypaníque, Cratésque.

b Val.Flac.4.

Inde premente Notho tristes Acherusidos oras
Præterit. Est & Italiæ palus Acherusia prope Puteolos & Cumas.

CAP. XLVI.

De Paphlagonia, & Venetorum origine.

PAphlagoniam limes à tergo Galaticus amplectitur. Ea Paphlagonia Carambi promontorio spectat Tauricam, consurgit Cytoro monte porrecto in spatium trium & sexaginta millium, insignis loco Heneto, à quo (vt Cornelius Nepos perhibet) Paphlagones in Italiam transuecti, mox Veneti sũt nominati. Plurimas in ea regione vrbes Milesij condiderunt. Eupatoriam Mithridates, quæ subacta à Pompeio, Pompeiopolis est dicta.

CAP. XLVII.

De Cappadocia, & in ea equorum natura.

CAppadocia gentium vniuersarum quæ Põtum accolunt, præcipuè introrsus recedit. Latere læuo vtrasque Armenias, & Comagenẽ simul trãsit, dextro plurimis Asiæ populis circumfusa. Attollitur ad Tauri iuga, & Solis ortum. Præterit Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam. Vadit super tractum Syriæ Antiochiæ, parte regionis alterius in Scythiam pertendens, ab Armenia maiore diuisa Euphrate amne. Quæ Armenia, vnde Pariedri montes sunt, auspicatur. Multæ in Cappadocia vrbes inclytæ. Verùm vt

ab aliis referamus pedem, coloniam Archelaidem, quam deduxit Claudius Cæsar, Halys præterfluit. Neocæsaream fluuius Lycus alluit. Melitam Semiramis condidit. Mazacham sub Argæo sitam, Cappadoces matrem vrbium nominant. Qui Argæus niualibus iugis arduus, ne æstiuo quidem torrente pruinis caret, quémque indigenæ populi habitari Deo credunt. Terra illa ante alias altrix a equorum, & prouentui equino accommodatissima est. Quorum hoc in loco ingenium reor persequendum. Ná equis inesse iudicium, documentis plurimis patefactum est, cùm iam aliquot inuenti sint, qui nonnisi primos dominos agnoscerent, obliti mánsuetudinis, siquando mutassent consueta seruitia. Inimicos partis suæ norunt, adeò vt inter prælia hostes morsu petant. Sed illud maius est, quòd rectoribus perditis, quos diligebant, accersunt fame mortem. Verùm hi mores in genere equorum præstantissimo reperiuntur. Nam qui infra nobilitatem sunt sati, nulla documenta sui præbuerunt. Sed ne quid videamur dicendi licentia contra fidem arrogasse, exemplũ frequens dabimus. Alexandi magni equus Bucephalus dictus, siue de aspectus toruitate, seu ab insigni, q taurinum caput armo inustum gerebat, vel quòd de fronte eius quædam extantium corniculorum minæ protuberabant, cùm ab equario suo alîâs etiam molliter sederetur, accepto regio stratu neminé vnquam alium præter dominum vehere dignatus est, Documenta eius in præliis plurima sunt, quibus Alexandrum è durissimis certaminibus sospitem opera sua extulit. Quo merito effectum, vt defuncto in India exequias rex duceret, & supremis sepulchrum daret.

daret. Vrbem etiam conderet, quam in nominis memoriam Bucephalam nominauit. Equus C. Cæsaris nullum præter Cæsarem dorso recepit, cuius primores pedes facie vestigij humani tradunt fuisse, sicuti [b]ante Veneris genitricis simulacrum, eadem hac effigie locatus est. Regem Scytharum, cùm singulari certamine interemptum, aduersarius victor spoliare vellet, ab equo eius calcibus morsúque laniatus est. Agrigentina etiam regio frequens est equorum sepulcris, quod supremorum munus meritis datum creditur. Voluptatem his inesse, Circi spectacula prodiderunt. Quidam enim equorum cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam accensis facibus ad cursus prouocantur. Affectum equinum lachrymæ probant. Denique interfecto Nicomede rege, equus eius inedia vitam expulit. Cùm prælio [c] Antiochus Galatas subegisset, Centaretrij nomine ducis, qui in acie ceciderat, equum ouaturus insiluit. Isque adeò spreuit lupatos, vt de industria curuatus, ruina & se & equitem pariter affligeret. Ingenia equorũ & Claudij Cæsaris Circenses probarunt, cùm effuso rectore quadrigæ, [d] cursus æmulos non minus æstu, quàm velocitate præuerterent, & post decursa legitima spatia, ad locum palmæ sponte consisterent, velut victoriæ præmium postularent. Excusso quoque auriga, quem Ratumenam nominabant, relicto certatamine ad Capitolium quadriga prosiluit, nec ante substitit, quamlibet obuijs occursibus impedita, quàm Tarpeium Ioué terna dextratione lustrasset. In huiusce animalis genere ætas longior maribus. Legimus sanè equum aduſq; annos septuaginta vixisse.

xisse. Iam illud non venit in ambiguum, quòd in annum tertium & tricesimum generant, vtpote qui etiam post vicesimum mittantur ad sobolem reficiédam. Notatum etiam aduertimus Opunte equum ad gregariam Venerem durasse in annos quadraginta. Equarum libido extinguitur iubis tonsis. Inquarum partu amoris nascitur veneficium, quod in frontibus præferunt recèns editi, furuo colore, caricis simile, ἱππομανὲς nominatum. Quod si præreptum statim fuerit, nequaquam mater pullo vbera præbet fellicanda. Quo quis acrior fuerit, speíque maioris, eo profundiùs nares mersitat in bibendo. Mas ad bella nunquam producitur apud Scythas, eo quòd fœminæ leuare velicas etiam in fuga possint. Edunt equæ ex ventis conceptos, sed hi nunquam vltra triennium æuum trahunt.

IN CAP. XLVII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Claudian. 2. in Rufinum,

--iam pascua fumant
Cappadocum, volucrúmque parens Argæus equorum.

b Suetonius in eius vita.

c Plinius historiam inuertit, inquiens lib. 8. c. 42. Philarchus refert Centaretum è Galatis, in prælio occiso Antiocho, potitum equo eius, conscendisse ouantem At illum indignatione accensum domitis frænis, ne regi posset, præcipitem in abrupta isse, exanimatúmque vnà.

CAP. XLVIII.

De Assyria, déque vnguentorum origine.

ASsyriorum initium Adyabene facit. In cuius parte Arbelitis regio, est, quem locum victo-

ria

ria Alexandri Magni non sinit prętereri. Nam ibi copias Darij fudit, ipsúmque subegit, expugnatísque eius castris, in reliquo apparatu regis scrinium vnguentis refertum reperit, vnde primum [a] Romana luxuria fecit ingressum ad odores peregrinos. Aliquantisper tamen virtute veterum ab illa vitiorum illecebra defensi sumus, atque adeò in censuram Publij Crassi & Iulij Cæsaris, qui edixerunt anno vrbis conditæ sexcentesimo sexagesimoquinto, nequis vnguenta inueheret peregrina. Postmodum vicerũt nostra vitia, & senatui adeò placuit odorum delicia, vt ea etiam in penetrantibus tenebris vteretur: sicut L. Plotium fratrem L. Plotij bis consulem proscriptum à triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odor prodidit.

a Florus cap. 12 lib. 3. Syria prima victa Romanos mores corrupit. Vide Liuium lib. 39. Augustin. lib. 3. de ciu. cap. 21.

CAP. XLIX.

De Medica arbore.

HOs terrarũ ductus excipit Media, cuius [a] arbor inclaruit etiam carminibus Mantuanis. Ingens ipsa, & cui tale fermè, quale Vnedonibus folium est: tantum eo differt, quòd aculeatum [b] spinosis fastigijs hispidatur. Gestat malum inimicum venenis, sapore aspero, & amaritudinis miræ. Odoris autem fragrantia plus quàm iucundum longéque sensibile. Verûm pomorum illi tanta vbertas inest, vt onere prouentus semper grauetur. Nam protinus atque poma eius ceciderint maturitate, alia protuberant, eáque tantùm est opimitati mora, vt fœtus decidãt

antè nati. Vsurpare sibi nemora ista optauerunt & aliæ nationes, per industriam tralati germinis & inserti, sed beneficium soli Mediæ datum, natura resistente terra alia non potuit mutuari.

IN CAP. XLIX. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Virg. 2. Georg.

Media fert tristes succos, tardúmque saporem
Felicis mali, quo non præstantius vllum
Pocula si quando sæuæ infecére nouercæ,
Miscuerúntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro,
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat, folia haud vllis labentia ventis.
Flos apprimè tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

b V. C. spinulentis fastigiis hispida turgescit.

CAP. L.

De Caspijs portis.

CAspiæ portæ panduntur itinere manu facto, longo octo millibus passuum. Nam latitudo vix est plaustro permeabilis. In his angustijs etiam illud inter alia difficile, quòd præcisorum laterum saxa liquentibus inter se salis venis, exudant humorem affluentissimum, qui mox vi caloris constrictus, velut in glaciem coit. Ita [a] labes inuia accessum negat. Præterea octo & viginti millium passuum tractus omnis quoquò inde pergitur, nullis [b] puteis vel fõtibus, humo arida, sine præsidio sitit. Tum serpentes vndique gentium conuenæ, à verno statim die illuc con-

confluunt. Ita periculi ac difficultatis concordia, ad Caspios, nisi hyeme, accessus negatur.

IN CAP. L. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a V.C. *luuies*, forsan *rupes*, vt suspicatur D. Delrio.

b Vetustissimus & optimus codex, verba hæc, *nullis puteis vel fontibus* non agnoscit De populi huius moribus vide Euseb. lib. 1. cap. 3. de præparat Val. Flac. lib. 6.

Caspiada, quis turba canum non segnius acres
Exiit ad iituos, pugnásque capessit heriles,
Inde etiam par mortis honos, tumulísque recepti
Inter auos positúsque virum.

CAP. LI.

De Direo, & Margiana regione.

A Caspijs ad oriẽtẽ versus locus est quod Direũ[a] appellatur, cuius vbertati non est quod vspiam comparari queat, quem locum circunsidunt Tapyri, Anariaci, Stauri, Hyrcani. Ei proximat[b] Margiana regio, inclyta cæli ac soli commodis, adeò vt in toto illo latifundo vitibus sola gaudeat. In facié theatralem montibus clauditur ambitu stadiorum mille quingentorum, inaccessa penè ob incommodum arenosæ solitudinis, quæ per centum & viginti millia passuum vndique versum circumfusa est. Regionis huius amœnitatem Alexander Magnus vsqueadeò miratus est, vt ibi primùm Alexandriam conderet, quàm mox à Barbaris excisam, Antiochus Seleuci filius reformauit, & de nuncupatione domus suæ dixit Seleuciam. Cuius vrbis circuitus diffunditur in stadia septuagintaquinque: in hanc Orodes Romanos captos Crassiana clade deduxit. Et aliud

in Caspijs Alexãder oppidum excitauit, idq; e Heraclea dictum, dum manebat, sed hoc quoque ab ijsdem euersum gentibus, deinde ab Antiocho restitutum, vt ille maluit, Achais postmodum nominatum est.

IN CAP. LI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Plinij codices optimi quique habent *Darieum.*

b Huius regionis pagos Diodor. lib. 17. fortunatos vocat. Vide Strab. 2. ait ibi vuam inueniri bicubitalem.

c Stephanus supra xx. huius nominis vrbes numerat.

CAP. LII.

De Oxo amne, & circa eum gentibus, De itinere Liberi patris, Herculis, Semiramidis, & Cyri regis termino, déque Carnelorum natura.

OXus amnis de lacu Oxo oritur, cuius oras Heniochi Bateni, Oxij Tagæ accolunt, sed præcipuam partem Bactri tenent. Bactris præterea est proprius amnis Bactros: vnde & oppidum quod incolunt, Bactrum. Gentes huiusce quæ ponè sunt, Paropamisi iugis ambiuntur, quæ aduersa Indi fontibus terminantur. Reliqua includit Oxus flumen. Vltra hos Panda oppidum Sogdianorum, in quorũ finibus Alexander magnus tertiam Alexandriam cõdidit ad cõtestandos itineris sui terminos. Hic enim locus est, in quo primùm à Libero patre, pòst ab Hercule, deinde a Semiramide, postremò etiam à Cyro [a] aræ sunt constitutæ, quòd proximum gloriæ omnes duxerunt, illò vsque promouisse itineris sui metas. V niuersi eius ductus duntaxat ab illa terrarũ parte Iaxartes fluuius secat fines, quem tamen Iaxartem

xartem ſoli vocant Bactri. Nam Scythæ Silyn nominant. Hunc eundem eſſe Tanaïn exercitus Alexandri Magni crediderunt. Verùm Dæmodamas dux Seleuci, & Antiochi, ſatis idoneus verò auctor, trāſuectus amnem iſtum, titulos omnium ſupergreſſus eſt, aliúmque eſſe quàm Tanain deprehendit. Ob cuius gloriæ inſigne, dedit nomini ſuo, vt altaria ibi ſtatueret Apollini Didymæo. Hoc eſt colliminium, in quo limes Perſicus Scythis iungitur, quos Scythas Perſę lingua ſua Sacas dicunt, & inuicem Scythæ Perſas Chorſaros nominant, montémque Caucaſum Graucaſum, id eſt niuibus candicantem. Denſiſſima hîc populorum frequentia, cùm Parthis legē placiti ab exordio moris incorrupta cuſtodit diſciplina. E quibus celeberrimi ſunt Maſſagetæ, Eſſedones, Ariacæ, Sacę, Dahæ, & Aſſæi. Poſt quos immaniſſimis Barbaris interiacentibus, de ritu aliarū nationū penè inconſtanter definitum aduertimus. Bactri Camelos fortiſſimos mittūt, licet & Arabia plurimos gignat. Verùm hoc differunt, quòd Arabici bina tubera in dorſo habent, ſingula Bactriani. Hi nunquam pedes atterunt. Sunt enim illis reciprocis quibuſdam pulmunculis veſtigia carnulenta. Vnde & contraria eſt labes ambulantibus, nullo fauente præſidio ad niſū inſiſtendi. Habentur in duplex miniſterium. Sunt [b] alij oneri ferendo accommodati, alij leues ad pernicitatem. Sed nec illi vltra iuſtum pondera recipiunt, nec iſti amplius quàm ſolita ſpatia volunt egredi. Genituræ cupidine efferantur adeo vt ſæuiant cùm Venerem requirunt. Oderunt equinum genus. Sitim etiam in quatriduum tolerāt. Verum cùm occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum & ſa-

tiet desideria præterita,& in futurum diu prosit. Lutulentas aquas captant,puras refugiunt.Denique nisi cœnosior liquor fuerit,ipsi assidua çonculcatione limum excitant,vt turbetur.Durant in annos centũ, nisi forte tralati in peregrina,insolentia mutati aëris morbos trahant.Ad bella fœminæ præparantur.Inuentúmque est,vt desiderium eis coitionis quadam castratione execaretur. Putant enim fieri validiores, si à coitibus arceantur.

IN CAP. LII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a xxx.ab Hypaside flumine stadiorum spatio, arę sunt cum huiusmodi inscriptione, *Patri Ammoni,& Herculi fratri,& Mineruæ Palladiæ, & Ioui Olympio, & Sæmothracibus Cabyris,& Indico Soli,atque Apollini Delphico.* Æneam quoque columnam eodem loco erectam tradunt his verbis: ALEXANDER HIC STETIT. Philostratus lib.2.Arrianus 5.de aris Bacchi.Diod.in 4. Herculis in 5. Semiramidis in 3.

b In Arabia sunt Cameli,qui supra decem frumenti *mi*nas,homines verò quinque in lecto iacentes ferant, *Diodor.* in 3.Philost in 2.scribit,Camelos in India albos esse. De eorum autem erga matrem reuerentia lege Aristot.lib. 9. cap. 47.de natur.animal.

d Hinc Cyrus camelis immissis Crœsi equitatum auertit.Herodot.in 1.

CAP. LIII.

De Seribus,& serico vellere.

QVa ab Scythico Oceano,& mari Caspio in Oceanum Eoum cursus inflectitur, ab exordio huiusce plagæ profundæ niues,mox longa deserta, post Antropophagi,gens asperrima,dein spatio sæuissimis bestijs efferata,fermè dimidiã itinere is partẽ

tem impenetrabilem reddiderunt. Quarum difficultatum terminum facit iugũ mari imminens, quòd Tabain Barbari dicunt. Post quem adhuc longinquæ solitudines. Sic in tractu eius oræ, quæ spectat ęstiuũ orientem, vltra inhumanos situs primos hominum [a]Seres cognoscimus, qui aquarũ aspergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis teneram subtilitatem humore domant ad obsequium. Hoc illud est Sericum, in vsũ publicum damno seueritatis admissum, & quo ostẽtare potius corpora, quàm vestire, primò fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido. Seres ipsi quidem mites, & inter se quietissimi. Aliâs verò reliquorum mortalium cœtus refugiunt, adeo vt cæterarum gentium commercia abnuant. Primum eorũ fluuium mercatores ipsi trãseunt, in cuius ripis, nullo inter partes linguæ commercio, sed depositarum rerum pretia oculis æstimantes sua tradunt, nostra non emunt.

IN CAP. LIII. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Vide Marcellin. 23. Strabo. lib. 15. refert Seres tam longę esse vitæ, vt c c. annos excedant. Euseb. lib. 6. Præpar. cap. 8. ait apud eos legem esse, nec occidere, nec fornicari, nec furari, nec adorare simulacra: vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida, &c.

CAP. LIIII.

De Attacis gentibus.

SEquitur [a] Attacenus sinus, & gens Attacorum, quibus temperies prærogatiua miram aeris cle-

mentiam sumministrat. Arcent sanè afflatum noxiũ colles, qui salubri apricitate vndique secus obiecti prohibent auras pestilentes. Atque ideo, vt Amometus affirmat, par illis & [b] Hyperboreis genus vitæ est, inter hos & Indiam gnarissimi Cyconas locauerunt.

a V. C. *Attauus sinus.* Plin. lib. 6. c. 17. Attauos sinus, & gens hominum Attacorum.

b Simonides, Pindarus, & alij aiunt Hyperboreos mille annos viuere.

CAP. LV.

De India, & Indorum moribus, de eius regionis cœli clementia, De Indiæ fluminibus, déque miris in ea animalibus, arboribus, odoramentorum generibus, De Indis item pretiosis lapidibus.

AB Emodis montis auspicatur India à meridiano mari porrecta ad Eoum, & à septentrione vsque ad montem Caucasum, Fauonij spiritu *salu*berrima. In anno bis æstatem habet, bis legit fruges, vice hyemis Etesijs potitur. Hanc Possidonius aduersam Galliæ statuit. Sanè nec quicquam ex ea dubiũ. Nam [a] Alexandri Magni armis comperta, & aliorũ postmodum regum diligentia peragrata penitus cognitioni nostræ addita est. Megasthenes sanè apud Indicos reges aliquantisper commoratus, res Indicas scripsit, vt fidem quam oculis subiecerat, memoriæ daret. Dionysius quoque, qui & ipse à Philadelpho rege spectator missus est gratia periclitandæ veritatis, paria prodidit. Tradunt ergo in India fuisse quinque millia oppidorum præcipua capacitate, populorum nouem millia. Diu [b] etiam credita est tertia

tia pars esse terrarum. Nec mirum sit, vel de hominũ vel de vrbium copia, cum soli Indi nunquam à natali solo recesserint. Indiam Liber pater primus ingressus est, vtpote qui Indis subactis primus omnium triumphauit. Ab hoc ad Alexandrum Magnum numerantur annorum sex millia quadringentiquinquagintavnus, additis eo amplius tribus mensibus, habita per reges computatione, qui centum quinquagintatres tenuisse medium æuum deprehenduntur. Maximi in ea amnes Ganges, & Indus, quorum Gangen quidam fontibus incertis nasci, & Nili modo exundare perhibent. Alij volunt à Scythicis montibus exoriri. Hypasis [c] etiam nobilissimus ibi fluuius, qui Alexandri Magni iter terminauit, sicuti aræ in ripa eius positæ probant. Minima Gangis latitudo per octo millia passuum, maxima per viginti patet. Altitudo vbi vadosissimus est, mensuram centum pedum deuorat. Gangarides extimus est Indiæ populus cuius rex equites mille, Elephantos septingentos, peditum sexaginta millia in apparatu belli habet. Indorum quidam agros exercent, militiam plurimi, merces alij, optimi [d] ditissimique Rempublicã curant, reddunt iudicia, assident regibus. Quietum ibi eminentissimæ sapientiæ genus est, vita repletos incensis rogis mortem accersere. Qui verò ferociori sectæ se dediderunt, & syluestrem agunt vitam, Elephantos venantur, quibus perdomitis ad mansuetudinem aut arant, aut vehuntur. In Gange insula est, populosissimam & amplissimam continens gentẽ, quorum rex peditum quinquaginta millia, equitũ quatuor millia in armis habet. Omnes sanè quicunque præditi sunt regia potestate, non sine maximo, e-

lephantorum,equitum,peditumque numero militarem agitant disciplinam.Prasiae gens validissima Palybotram vrbem incolunt,vnde quidam gentem ipsam Palybotros nominarunt.Quorum rex sexcentena millia peditum,equitum triginta millia,elephá torũocto millia omnib⁹ diebus ad stipendiũ vocat. Vltra Palybotram mons Maleus,in quo vmbræ hyeme in septentriones,æstate in Austros cadunt,vicissitudine hac durante senis mensibus.Septentriones in eo tractu in anno semel , nec vltra quindecim dies apparent,sicuti auctor est Bethon,qui perhibet hoc in pluribus Indiæ locis euenire.Indo flumini proximantes,versa ad meridiem plaga ,vltra alios torrentur calore. Denique vim syderis prodit hominum color.Montana Pygmæi tenent.At ij quibus est vicinus Oceanus,sine regibus degunt.Pandea gens à fœminis regitur , cui reginam primam assignant Herculis filiam.Et Nysa vrbs regioni isti datur.Mõs etiam Ioui sacer Meros nomine,in cuius specu nutritum Liberum patrem veteres Indi affirmant , ex cuius vocabuli argumento lasciuienti famæ creditur Liberum patrem fœmina natum. Extra Indi ostium sunt insulæ duæ Chryse & Argyre,adeo fœcũdę copia metallorum,vt plerique eas aurea sola prodiderint & argentea habere.Indis omnibus promissa cæsaries,non sine fuco cœrulei aut crocei coloris. Cultus præcipuus in gemmis. Nullus funerum apparatus.Præterea vt Iubæ & Archelai regum libris editum est,in quantum mores populorum dissonãt, habitus quoque discrepantissimus est. Alij lineis, alij laneis peplis vestiuntur,pars nudi , pars obscœna tantùm amiculati,plurimi etiam flexibilibus libris

bris circundati. Quidam populi adeo proceri, vt elephantos, velut equos, facillima insultatione transiliant. Plurimis placet, neque animal occidere, neque vesci carnibus. Plerique tantùm piscibus aluntur, & è mari viuunt. Sunt qui proximos, parentésque priusquam annis aut ęgritudine in maciem eãt, antè velut hostias cædunt, deinde peremptorum viscera epulas habent: quod ibi non sceleris, sed pietatis loco numerant. Sunt etiam qui cùm incubuere morbi, procul à cæteris in secreta abeunt, nihil anxiè mortem expectantes. Aspagonum gens laureis viret syluis, lucis buxeis. Vitium verò, & arborum vniuersarum, quibus gratia dulcis est, prouentibus copiosissima. Philosophos habent Indi, Gymnosophistas vocant, qui ab exortu aduśque Solis occasum contentis oculis orbem candentissimi syderis contuentur in globo igneo, rimantes secreta quædam, arenísque feruentibus perpetem diem alternis pedibus insistunt. Ad montem, qui Milo dicitur, habitãt quibus auersæ plantæ sunt, & octoni in plantis singulis digiti. Megasthenes per diuersos Indiæ montes esse scribit nationes capitibus caninis, armatas vnguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum nulla voce, sed latratibus tantum sonantes, asperis rictibus. Apud Ctesiam legitur quasdam fœminas ibi semel parere, natósque canos illico fieri. Esse rursum gẽtem alteram, quæ in iuuenta sit cana, nigrescat in Senectute, vltra æui nostri terminos perennantem. Legimus Monoscelos quoque ibi nasci singulis cruribus, & singulari pernicitate: qui vbi defendi se velint à calore, resupinati plantarum suarum magnitudine inumbrentur. Gangis fontem qui ac-

colunt,nullius ad escam opis indigent.Odore viuũt pomorum syluestrium, longiúsque pergẽtes eadem illa in præsidio gerunt,vt olfactu alantur.Quod si tetriorem spiritum fortè traxerint,examinari eos certum est.Perhibent esse & gentem fœminarum ,quæ quinquennes concipiunt,sed vltra octauum annum viuendi spatium non protrahunt. Sunt qui ceruicibus carent,& in humeris habent oculos. Sunt qui syluestres,hirti corpora,caninis dẽtibus,stridore terrifico. Apud eos verò quibus ad viuendi rationem propensior cura est,multæ vxores in eiusdem viri coeunt matrimonium,& cum maritus decesserit,apud grauissimos iudices suam quæque de meritis agunt causam,& quæ officiosior cæteris sententia vicerit iudicantiũ,hoc palmæ refert præmium,vt arbitratu suo ascendat rogum coniugis,& supremis eius g semetipsam det inferias:cæteræ notatæ viuunt.Enormitas in serpentibus tanta est,vt ceruos,& animantium alia ad parem molem tota hauriant , *quinetiá* Oceanum Indicum quantus est penetrent , insulásque magno spatio à continenti separatas ,pabulandi petant gratia.Idque ipsum palam est potentia ampliſſimæ magnitudinis fieri , vt per tantam sali latitudinem ad loca permeent destinata.Sunt illic multæ ac mirabiles bestiæ,quarum è multitudine & copia parté persequemur. Leucrocota velocitate præcedit feras vniuersas.Ipsa asini magnitudine , cerui clunibus,pectore ac cruribus leoninis , [h] capite camelino,biscula vngula,ore aduſque aures dehiscente,dentium locis osse perpetuo. Hoc quoad formá. Voce autem loquentium hominum sonos æmulatur.Est & Eale,aliâs vt equus,cauda verò Elephanti, ni-

nigro colore,maxillis aprinis, præferens cornua vltra cubitalem modum longa,ad obsequium cuius velit motus accommodata. Neque enim rigent, sed deflectuntur vt vsus exigit prælianti. Quorum alterum cum pugnat,protendit,alterum replicat, vt si ictu aliquo alterius acumen obtusum fuerit, acies succedat alterius. Hippopotamis comparatur, & ipsa sanè aquis fluminum gaudet. Indicis tauris color fuluus est,volucris pernicitas, pilus in contrarium versus,hiatus omne quod capit. Hi quoque circunferunt cornua flexibilitate qua malint, tergi duritia omne telum respuentes, tam immiti ferocitate,vt capti animas proijciát furore. [i]Maticora quoque nomine inter hæc nascitur, triplici dentium ordine coëunte [k] vicibus alternis,facie hominis, glaucis oculis,sanguineo colore, corpore leonino,caudá veluti scorpionis aculeo spiculata. Voce tam sibila, vt imitetur fistularum modulos, tubarúmque concentum: humanas carnes auidissimè affectat,pedibus sic viget, saltu sic potest, vt morari eam nec extentissima spatia possint,nec obstacula latissima. Sunt præterea boues vnicornes & tricornes, solidis vngulis, nec bifidis. Sed atrocissimum est [l] Monoceros,monstrum mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus,cauda suilla,capite ceruino. Cornu è media eius fronte protenditur,splendore mirificum, ad longitudinem pedum quatuor,ita acutum, vt quicquid impetat,facilè ictu eius perforetur. Viuus non venit in hominum potestatem: & interimi quidem potest,capi non potest. Aquæ etiam gignunt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges,quem Statius Sebosus inter præ-

cipua miracula ait vermibus abundare ,cæruleis nomine;& colore.Hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus senûm , adeo robustis viribus,vt Elephantos ad potum ventitantes , mordicus comprehensos ipsorum manu rapiant in profundum. Indica maria [m] Balænas habent vltra spatia quatuor iugerum. Sunt & quos Physeteras nuncupant,qui enormes vltra molem ingentium columnarum , super antemnas se nauium extollnut , haustósque fistulis fluctus ita eructant, vt nimbosa alluuie plerunque deprimant alueos nauigantium. Sola India [n] mittit Psitacum auem colore viridi,torque puniceo,cuius rostri tanta duritia est,vt cùm è sublimi præcipitatur in saxum,nisu se oris excipiat, & quo dam quasi præsidio vtatur extraordinariæ firmitatis. Caput verò tam valens ,vt siquando ad discendum plagis sit admonendus(nam studet vt homines alloquatur) ferrea clauicula sit verber andus. Dum *pullus* est,atque adeo intra alterum ætatis suæ *annum*, quæ monstrata sunt,& citius discit,& tenaciùs retinet.Maior paulò segnior est,& obliuiosus,& indocilis. Inter nobiles & plebeios discretionem digitorũ facit numerus.Qui præstant ,quinos in pede habent digitos,cæteri ternos.Lingua lata, multóque latior, quàm cæteris auibus : vnde perficitur , vt articulata verba penitus eloquatur.Quod ingenium ita Romæ deliciæ miratæ sunt, vt Barbari Psitacos mercem fecerint.Indorum nemora in tam [o] proceram sublimãtur excelsitatem, vt trans-jaci ne sagittis quidé possint.Pomaria ficus habent,quarum caudices in orbé spatio sexaginta passuum extuberantur. Ramorum vmbræ ambitu bina stadia consumunt.Foliorum latitudo

titudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur. Pomũ eximiæ ſuauitatis. Quæ paluſtria ſunt, arundinem creant ita craſſam, vt fiſſis internodijs, lembi vice vectitet nauigantes. E radicibus eius exprimitur humor dulcis ad melleam ſuauitatem. P Tylos, Indiæ inſula eſt. Ea fert palmas, oleas creat, vineis abũdat. Terras omnes hoc miraculo ſola vincit, quòd quæcunque in ea arbos naſcitur, nunquam caret folio. Mons q Caucaſus inde incipit, qui maximam orbis partem perpetuis iugis penetrat. Idem fronte qua Soli eſt obuerſus, arbores piperis oſtentat, quas ad Iuniperi ſimilitudinem diuerſos fructus edere aſſeuerant. Eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur r Piper longum. Quod incorruptum eſt, Piper album. Quorum cutem rugoſam & torridam calor fecerit, Piper nigrum. Qui demum caducus torretur feruido ſole, vocamen trahit de colore. At qui ex ipſa arbore ſtringitur, vt eſt, album Piper dicitur. Sed vt ſ piper ſola India, ita & Hebenum ſola mittit, nec tamen vniuerſa, verùm exigua ſui parte ſyluis hoc genus edit. Arbor eſt plerunque tenuis, & frequentior, vimine raro in craſſitudinem caudicis extuberata, hiulco cortice, & admodum reticulato, dehiſcentibus venis, adeo vt per ipſos ſinus pars intima vix tenui libro contegatur. Lignum omne mediale eadem fermè & facie, & nitore, qui eſt in lapide Gagate. Indi reges ex eo ſceptra ſumunt, & quaſcunque deorum imagines nonniſi ex Hebeno habent. Iidem ferunt materia iſta liquorem non contineri noxium, & quicquid maleficum fuerit, tractu eius auerti. Hac gratia pocula ex Hebeno habẽt. Ita nihil mirum ſi peregrè ſit in pretio, quo etiam ipſi

psi quibus prouenit, honorantur. Hebenum ex India Romæ Mithridatico triumpho primum Magnus Pompeius exhibuit. Mittit India & t calamos odoratos, potentes aduersum inteſtinæ ægritudinis incõmoda. Dat & multa alia fragrantia, mirifici ſpiritus ſuauitate grata. Indicorum lapidum in Adamantibus dignitas prima, vtpote qui lymphationes abigant, venenis reſiſtant, u pauitantium vanos metus pellant. Hæc primum de ijs prædicari oportuit, quæ reſpicere ad vtilitatem videbamus. Nunc reddemus quot quæve Adamantum ſint ſpecies, & quis color cuique eximius. In quodam Cryſtalli genere inuenitur materia, in qua naſcitur ad aquæ ſimilis ſplendorem liquidiſſimum, in mucronem ſexangulum vtrinq; ſecus læuiter turbinatus, nec vnquam vltra magnitudinem nuclei auellanæ repertus. Huic proximus, in excellentiſſimo auro deprehenditur pallidior, ac magis ad argenti colorem tenitens. Tertius in venis Cypri apparet, proprior ad æream faciem, & plurimum valet in medicamine, qui Siderites appellatur. Quartus in metallis ferrarijs legitur, pondere cæteros antecedens, non tamen & poteſtate. Ná & hic, & qui in Cypro deprehenduntur, frangi queunt, plerique etiam Adamante altero perforantur. At illi quos primos diximus, nec ferro vincuntur, nec igni domantur. Verùm tamen ſi diu ſanguine hircino macerentur, nec aliter, quàm ſi calido, vel recenti, vel malleis aliquot antè fractis, & incudibus diſſipatis, aliquando cedunt, atque in particulas diſſiliunt. Quæ fragmenta ſcalptoribus in vſum inſigniendæ cuiuſcunque modi gemmæ expetuntur. Inter Adamantem & Magnetem eſt quædam naturæ occulta diſſenſio,

adeo

adeò vt iuxtà positus non sinat Magnetem rapere ferrum: vel si admotus Magnes ferrum traxerit, quasi prædam quandam quicquid Magneti hæserit, Adamas rapiat, atque auferat. Lychnitem deinde fert India, cuius lucis vigorem flagrantia excitat lucernarum, qua ev causa λυχνίτην Græci vocauerunt. Duplex ei facies, aut in purpuream emicat claritatem, aut meracius suffunditur cocci rubore. Per omne intimũ sui, siquidé pura sit, inoffésam admittit perspicuitaté. At si excanduit radijs Solis incita, vel ad coloré digitorũ attritu excitata est, aut palearũ cassa, chartarum fila ad se rapit, contumaciter scalpturis resistens. Ac siquando insignita est, dum signa exprimit, quasi quodam animali morsu partem ceræ retentat. Beryllos in sexangulas formas Indi atterũt, vt hebetem coloris leuitatem, angulorum repercussu excitent ad vigorem. Beryllorum genus diuiditur in speciem multifariam. Eximij interuirente glauci & cæruli temperamento, quandam præferũt puri maris gratiam. Infra hos sunt Chrysoberylli, qui láguidiùs micantes aurea nube circunfunduntur. Chrysopraſos quoque ex auro & Porraceo mixtam lucé trahentes, æquè Beryllorum generi adiudicarunt. Hyacinthizontas, scilicet qui hyacinthos prope referant, & ipsos probant. Eos verò, qui Crystallo similes, capillàmentis intercurrentibus obscurantur, (hoc enim vitio illorum nomen est) scientissimi lapidum plebi dederunt. Indici reges hoc genus gemmarum in longissimos Cylindros amát fingere, eósque perforatos y elephantorum setis subligátes, monilia habent, quæ plerunque ex vtroque capite insertis aureis vmbilicis, vt marcentem faciem ad ni-

telam incendant pinguiorem, quò per industriam metallo hinc inde addito, fulgentiorem trahant lucem.

IN CAP. LV. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Alexander in Indiam profectus est, ambitione incitatus, cum auditu accepisset, Semiramidem quoque & Cyrum eò feciſſe expeditionem, ſed illam fuga ſalutem conſequutã euaſiſſe cum XX. hominibus, illum cum VII. glorioſum ſibi fore putabat, ſi iſtis tanta paſſis, ipſe parta victoria, ſaluum exercitum per eadem loca, eadẽmque traduceret gentes. Strabo lib. 15.

b Cteſias dicit Indiam non eſſe minorem reliqua Aſia. Oneſicritus, tertiam orbis partẽ, Nearchus quatuor menſiũ iter per campum.

c Diodor. lib. 3. Hypanin. 17. verò & Arrianus in 5 Hypaſin nuncupant. Vide etiam Curtium lib. 8.

d Totus populus in ſeptem tribus diſtributus, Philoſophorum, Agricolarum, Paſtorum, Artificum, Militum, Ephororum, & eorum qui conſiliis præſunt. Vide Diodor. 3. Strab. 15. Arrian. 8.

ẽ Strabo lib. 15. ſcribit gẽtem, in qua vrbs eſt Praſios, vocari omnibus præſtantem aliis. Eius regem præter proprium nomen, quod à natalibus habet, de nomine vrbis Palibothrum appellari: quemadmodum & Sandracottum, ad quẽ miſſus Megaſthenes fuit. Idem apud Parthos fit: omnes enim Arſacæ nominantur: priuatim verò alius Orodes, alius Phraates, alius aliter, &c.

f Gymnoſophiſtæ alij dicuntur Brachmanes, qui præſtãtiores, quòd eorum dogmata magis ſint conſentanea: alij Germanes: vel alij dicuntur Montani, & Bacchum celebrãt: alij Campeſtres, & Herculem colunt. Vide Strabon. 15. Philoſtrat. 6. Laert. 1. Porphyr. lib. 4. de ſacrificiis.

g Cic. 5. Tuſc. Val. Max. lib. 2. c. 1. Euſeb. lib. 6. c. 8. de Præpar. Hieron. cap. 27. aduerſus Iouinianum. Propertius lib. 3.

Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque vbi mortifero iacta est fax vltima lecto,
Vxorum fusis stat pia turba comis.
Et certamen habent lethi, quæ viua sequatur
Coniugium, pudor est non iicuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent.
Imponúntque suis ora peruſta viris.

Hoc noſtræ mulieres nunquam fecerint: quamplurimę enim ſunt, quæ maritorum mortem non modò deſiderãt, ſed & maturant. Ego quidem vxorias has moleſtias, vt molliter loquar, nondum ſenſi, ſed tamen incitato calore Nobiliſſimo D. Doctori Medico, Paulo Offredo, amico deſideratiſſimo, effudi aliquid querelæ.

Elegidion in Perfidam.

Siccine mirata es tantæ te Salome flammæ
Sufficere, atque animum feruere amore ſacro?
Te Salamandræ inſtar dicebas viuere in igne.
Næ ratio vitæ mira erat illa tuæ!
Iurabas Lacheſin ſolam infernalibus vndis,
Ardorem inuiſum mergere poſſe tuum.
Vel mentita mihi es, vel tantos Atropos ignes
Extinxit fluuiis inuidioſa ſuis.
Illud amor veri tuus, hoc Natura negabit.
Eccuius venti turbine diſperiit?
Credo ſacramento virtutum illectus amore,
Et reor hoc ignes interiiſſe modo.
Mors ruptura tuæ iuuenilia ſtamina vitæ,
Non te animâ, at noſtro viuere amore putat.
Eripit hanc, prædáque ferox allabitur vmbris.
Rata ſequuturam languidam amorem animam.
Illa ego quæ genio potis illuſiſſe Poetæ,
Oráque vel ſanctæ fingere docta Deæ.
Nollem, inquit, vetulas tandem ridere ſorores?
Decepi cælum, decipiam & Erebum.
Macte anime immortali auſo, cape lauream, & ingens
Ingere fallaci fronti anadema tuæ.
Ipſe meam daphnem victus, tibi Parca cupreſſum
Et vitæ & fato porgimus aptæ tuo.

h V.C.vt &Plin.lib. 8.cap.21.habet *Capite Melium.* Meles cuiuſmodi ſint feræ, vides ín eodem Plinij líbro cap. 38. vulgò Taxo dicitur: arbitror autem legendum eſſe *Capite melino.*

i In capite habet ſetas cubitales ſpinarum inſtar, quas contra perſequentes, ſagittatum modo iaculatur. Philoſtrat. lib.3.

k Plinius dicit pectinatim, eleganter & ſignificanter.

l Dicitur etiam Indicus aſinus, vt apud Ariſtot. lib. 2. ca. 1. natur. animal. Plin. lib. 1. c. 37. Apollonius apud Philoſtratũ lib. 3. ex illo cornu pocula confici refert, ex quo ſi quis bibat, illo die nullo morbo corripi, nec ſi vulneretur dolere, ex igne incolumem egredi, & ab omni veneno ſaluari.

m Huic, cùm penè ſit exoculata, maſculus piſciculus dux & rector eſt. Vide Claudian. 2. in Eutrop.

Sic ruit in rupes amiſſo piſce ſodali
Bellua ſulcandas cui præuius edocet vndas,
Immenſúmque pecus paruæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monſtro,
Illa natat rationis inops, & cæca profundi
Iam breuibus deprenſa vadis ignara reuerti
Palpitat, & vanos ſcopulis illidit hiatus.

Lege Ambroſium cap. 10. 5. Hexamer.

n Diodor. 3. vltimæ Syriæ. Ariſtot. ca. 14. de admir. in na. Perſidis regionem quandam eſſe ait, quæ Pſitacena dicitur.

o Diodor. lib. 17. Indiæ arbores ad 70. cubitos in altum ſurgere, & tantæ eſſe craſſitudinis vt eas vix quatuor homines complectantur. Val. Flac. lib. 6.

Denſior haud vſquam, nec celſior extulit vllas
Sylua trabes, feſſæque priùs redière ſagittæ,
Arboris ad ſummum quàm peruenere cacumen.

p Theophraſtus cap. 9. lib. 4. & cap. 6. lib 5. hanc inſulam in ſinu Arabico eſſe dicit. Scribunt in hac inſula materiam eſſe, ex qua naues factæ, plus quàm CC. annos in mari durét, extra aquam autem citiùs putrere.

q Nulli montium in Aſia ſecundus. Arrian. lib. 3.

r De pipere, & quomodo colligatur, vide Philoſtr. 3.

s Dioſcor. in lib 1. & Herodot. in 3. etiam Æthyopiam Hebenum mittere teſtantur. Seruius ſuper illud Georg.

--ſola

--ſola India nigram
Fert Hebenum. Indiam omnem Æthiopiæ plagam accipi, ſcribit.

t M.S. *Mittit & India calamos odoratos, & multa alia fragrantia, mirifici ſpiritus ſuauitate.*

u V.C. *Lymphationes abigunt, venenis reſiſtunt, mẽtium vanos metus pellunt.*

x M.S. *Cuius lucis vigor flagrantiam excitat lucernarum.*

y M.S. *Elephantorum ſetis ſuſpendunt, & monilia habent.*

CAP. LVI.

De Taprobane inſula, & qua ratione primùm innotuerit. Qualis illic nauigatio. Quis gentis eius mos, in rege eligendo. Item de conchis, Margaritis, Vnionibus.

TAprobanem inſulam, antequam temeritas humana, exquiſito penitus mari fidem panderet, diu orbem alterum putauerunt, & quidem eum, quem habitare Antichthones crederentur. Verùm Alexandri magni virtus ignorantiam publici erroris non tulit vlteriùs permanere, ſed in hæc vſque ſecreta propagauit nominis ſui gloriam. Miſſus igitur Oneſicritus præfectus claſſis Macedonicæ, terram iſtam quanta eſſet, quid gigneret, quomodo haberetur, exploratam notitiæ noſtræ dedit. Patet in longitudinem ſtadiorum ſeptem millium, in latitudinem quinque millium. Scinditur amne interfluo. Nam pars eius beſtiis & elephantis repleta eſt, maioribus multò quàm quos fert India. Partem homines tenent. Margaritis ſcatet, & gemmis omnibus. Sita eſt inter ortum & occaſum. Ab Eoo mari incipit, prætenta Indiæ. A Praſiana Indorum gente,

dierum viginti primò in eam fuit cursus, sed cùm papyraceis & Nili nauibus illò pergeretur: mox cursu nostrarum nauium septem dierum iter factum est. Mare vadosum interiacet altitudinis non amplius senûm passuum, certis autem canalibus adeo altum, vt nullæ vnquam ancoræ ad profundi illius ima potuerint peruenire. Nulla in nauigando syderũ obseruatio. Nam neque Septentriones illic conspiciuntur, nec Vergiliæ vnquam apparent. Lunam ab octaua in sextamdecimam tantùm supra terram vident. Lucet ibi Canopos, sydus clarum & amplissimum. Solem orientem dextra habent, occidentem siniſtra. Obseruatione itaque nauigandi nulla suppetente, per quam ad destinata pergentes, portum capiant: vehunt alites, quarum meatus terram petẽtium, regendi cursus magistros habent. Quaternis non amplius mensibus in anno nauigatur. Aduſque Claudij principatum de Taprobane hæc tantùm noueramus. Tunc enim fortuna patefecit scientiæ viã latiorem. Nam libertus Annij Plocami, qui tũc Rubri maris vectigal administrabat, Arabiam petens, Aquilonibus præter Carmaniam raptus, quintodecimo demum die appulsus est ad hoc littus, portũque inuectus, qui Hippuros nominatur. Sex deinde mensibus sermonem perdoctus, admissusque ad colloquia regis, quæ compererat, reportauit. Stupuisse scilicet regem pecuniam, quæ capta erat cum ipso, quòd tametsi signata disparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis. Cuius æqualitatis contemplatione, cum Romanam amicitiam flagrantiùs concupiscceret, Rachia principe legatos aduſque nos misit, à quibus cognita sunt vniuersa.

Ergo

Ergo ijdem homines corporum magnitudine alios omnes antecedunt. Crines fuco imbuunt, cæruleis oculis, truci viſu, terrifico ſono vocis. Quibus immatura mors eſt, in annos centum æuum trahunt. Alijs omnibus annoſa ætas, & penè vltra humanam extenta fragilitatem. Nullus aut ante diem, aut per diē ſomnus. Noctis partem quieti deſtinant. Lucis ortū vigilia anteuertunt. Ædificia modicè ab humo tollunt. Annona ſemper eodem tenore eſt. Vites neſciunt. Pomis abundant. Colunt Herculem. In regis electione non nobilitas præualer, ſed ſuffragium vniuerſorum. Populus enim eligit ſpectatum moribus, & inueteratæ clementiæ, & iam annis grauem. Sed hoc in eo quæritur, cui liberi nulli ſint. Nam qui pater fuerit, etiam ſi vita ſpectatus ſit, non admittitur ad regnandum. Ac ſi fortè dum regnat, pignus ſuſtulit, exuitur poteſtate. Idque eo maxime cuſtoditur, ne fiat hæreditarium regnum. Deinde etiam ſi res maximam præferat æquitatem, [a] nolunt ei totū licere. Quadraginta ergo rectores accipit, ne in cauſis capitum ſolus iudicet. Et ſic quoque ſi diſplicuerit iudicatum, ad populum prouocatur. A quo datis iudicibus ſeptuaginta fertur ſententia, cui neceſſariò acquieſcitur. Cultu rex diſſimili à cæteris, veſtitur [b] Syrmate, vt eſt habitus quo Liberum patrem amiciri videmus. Quod ſi etiam ipſe in peccato aliquo argutus ſit, ac reuictus, morte multatur. Non tamen vt cuiuſquam attrectetur manu, ſed conſenſu publico rerum omnium interdicitur ei facultas: etiam colloquij poteſtas punito negatur. Culturæ ſtudent vniuerſi, interdum venatibus indulgent, nec plebeias agunt prædas, quippe cum Tigrides aut E-

lephanti tantùm requirantur. Maria quoque piſcationibus inquietant, marináſque teſtudines capere gaudent, quarum tanta eſt magnitudo, vt ſuperficies earum domum faciat, & numeroſam familiam non arctè receptet. Maior pars inſulæ huius calore ambuſta eſt, & in vaſtas deſinit ſolitudines. Latus eius mare alluit peruiridi colore fruticoſum, ita vt iubæ arborum plerunque gubernaculis atterantur. Cernunt latus Sericum de montium ſuorum iugis. Mirantur aurum, & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum. Secant marmora teſtudinea varietate. Margaritas legunt plurimas, maximáſque. Conchæ ſunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore luxuriáte conceptu, ſitiunt rorem velut maritum cuius deſiderio hiant. Et cum lunares maximè liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt, grauidæque fiunt, & de ſaginæ qualitate reddunt habitus Vnionum. Nam ſi purum fuerit quòd acceperint, candicant orbiculi lapillorum: ſi turbidum, aut pallore langueſcunt, aut rufo innubilantur. Ita magis de cælo, quàm de mari partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aeris ſemen, fit clarius margaritum: quoties veſperæ, fit obſcurius. Quantóque magis hauſerit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repentè micauerit coruſcatio, intempeſtiuo metu comprimuntur, clauſæque ſubita formidine, vitia contrahunt abortiua. Aut enim perparuuli fiunt ſcrupuli, aut inanes. Conchis ipſis ineſt ſenſus, partus ſuos maculari timent. Cúmque flagrantioribus radijs excanduerit dies, ne fuſcentur lapides ſolis calore,

ſubſi-

subsidunt,& se profundis ingurgitant, vt ab æstu vindicentur.Huic tamen prouidentiæ ætas opitulatur.Nam candor senecta disperit, & grandescentibus Conchis flauescunt margaritæ. In aqua mollis est Vnio,duratur euiscerat us.Nunquam duo simul reperiuntur:vnde Vnionibus nomen datum. Vltra semunciales inuentos negant. Piscantium insidias timent Conchæ:inde est,vt aut inter scopulos, aut inter marinos canes plurimum delitescant. Gregatim natant.Certa examini dux est.Illa si capta sit,etiam quę euaserint,in plagas reuertuntur.Dat & India Margaritas.Dat & littus Britannicum, sicut diuus Iulius thoracem,quem Veneri genitrici in templo eius dicauit, è Britannicis margaritis factum, subiecta inscriptione testatus est.Lolliam Paulinam Caij principis coniugem vulgatum est habuisse tunicam ex margaritis,sestertio tunc quadringenties æstimatam. Cuius parandæ auaritia auus ipsius M. Lollius,spoliatis orientis regionibus,offendit Caiũ Cæsarem Augusti filium, interdictáque amicitia principis,veneno interijt.Illud quoque expressit vetus diligentia, quod Syllanis primùm temporibus Romam illati sunt Vniones.

IN CAP. LVI. NOTÆ ET EMENDATIONES.

a Nam vt Plin.ait,Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet.

b Genus vestis,quæ in grauioribus poëmasin recitandis ab histrionibus trahebatur. Martialis 4.Epigr.

Musa nec insano syrmate nostra tumet.

c —*Ne*

Mobile mutetur semper cum Principe vulgus.

CAP. LVII.

Indicum itinerarium.

AB hac autem Insula Indiæ continens est, consequens est igitur à Taprobane Indiam reuertamur. Sed si Indicis aut vrbibus aut nationibus insistamus, egrediemur propositæ cõcinnitatis modũ. Proximam Indo flumini vrbem habuere Capissam, quam Cyrus diruit. Arachosiam Hermando flumini impositam Semiramis condidit. Cadrusia oppidum ab Alexandro Magno ad Caucasum constitutum est, vbi & Alexandria, quæ patet amplius stadia triginta. Multa & alia sunt, sed hæc cum eminentissimis. Post Indos montanas regiones Ichthyophagi tenent, quos subactos Alexander Magnus vesci piscibus vetuit. Nam antea sic alebantur. Vltra hos deserta Carmaniæ, Persis deinde, atque ita nauigatio in qua Solis insula rubens semper, & omni animantium generi inaccessa, quippe quæ nullum non animal illatum necet. Ex India reuertentes ab Hytani Carmaniæ flumine septentriones primum vident. Achemenidũ in hac plaga sedes fuerunt. Inter Carmaniæ promontorium & Arabiam quinquaginta millia passuum interiacent deinde tres insulæ, circa quas Hydri marini egrediuntur vicenûm cubitorũ longitudine. Dicendum hoc loco, quatenus ab Alexandria Ægypti pergatur vsque in Indiam. Nilo vehente Copton vsque Etesijs flantibus cursus est. Deinde terrestre iter Hydreum tenus. Pòst transactis aliquot mansionibus, Berenicen peruenitur, vbi Rubri mari portus est. Indę Ocelis Arabiæ portus tangitur. Proximum Indiæ emporium excipit Muzirũ,

infame,

infame piraticis latronibus. Deinde per diuersos portus Cottonam peruenitur ad quam monoxylis lintribus Piper conuehunt. Petentes Indiam, ante exortum canis, aut protinus post exortum nauigia media æstate soluũt. Reuertentes nauigant Decembri mense. Secundus ex India ventus est Vulturnus. At cùm ventum est in Rubrum mare, aut Africus, aut Auster vehunt. Spatiũ Indiæ decies septies centena & quinquaginta millia passuum proditur. At Carmaniæ centum millia, cuius pars non caret vitibus. Præterea habet genus hominum, qui non alia quàm testudinis carne viuunt, hirsuti omnia facie tenus, quæ sola lenis est. Iidem corijs piscium vestiũtur, Chelonophagi cognominati.

CAP. LVIII.

De sinu Persico, atque Arabico, déque Azanio mari.

IRrumpit hæc littora Rubrum mare, ídq; in duos sinus scinditur. Quorum qui ab oriente est, Persicus apellatur, quandoquidem oram illam habitauere Persidis populi, vicies & sexagies centena millia passuum circuitu patens. Ex aduerso vnde Arabia est, alter Arabicus vocatur. Oceanum verò qui ibi influit, Azanium nominarunt. Carmaniæ Persis annectitur, quæ incipit ab insula Aphrodisia, variarum opum diues, tralata quondam in Parthicum nomẽ, litore quo occasui obiacet, porrecta in millia passuũ quinquaginta. Oppidum eius nobilissimum [a] Susa, in quo templũ Fusiæ Dianę. A Susis Babytace oppidũ centum triginta quinq; millib⁹ passuũ distat, in quo

mortales vniuersi odio auri coëmunt hoc genus metalli,& abijciunt in terrarum profunda,ne polluti vsu eius auaritia corrumpant æquitatem.Hic incõstantissimus est terrarum modus , nec immeritò, cùm aliæ circa Persida nationes schœnis , aliæ parasangis , aliæ incomperta discipli a terras metiantur,& incertam fidem faciat mensuræ ratio discors.

a Achemenes primus Persarum, seu Parthorum Rex. Placid.8. Thebaid. Achemenem Parthorum,seu Medorum ciuitatem ponit.

a Apud Herodotum lib.5.dicta est Memnonia, & arx eius Memnonium,Cditor Titonus Memnonis npater.Plura vide apud Strabonem & Marcellinum.

CAP. LVIIII.

De Parthia,& Cyri sepulcro.

PArthia quanta omnis est , à meridie *Rubrum* mare ,à Septentrione Hyrcanum saltum claudit.Regna in ea duodeuiginti diffecantur in duas partes.Vndecim quæ dicuntur superiora,incipiunt ab Armenio limite , & Caspio littore porrecta ad terram Scytharum,quibus concorditer degunt.Reliqua septem inferiora (sic enim vocitant) habent ab ortu Arios Arianosque,Carmaniam à medio die, Medos ab occidui Solis plaga, à septentrione Hyrcanos.Ipsa autem Media ab occasu transuersa,vtraque Parthiæ regna amplectitur.A septentrione Armenia circundatur.Ab ortu Caspios videt.A meridie Persidem.Deinde tractus hic procedit vsque ad castellum quod Magi obtinent Passargada nomine: Hîc Cyri sepulcrum.

CAP.

CAP. LX.

De Babylone, De Atlantico Oceano, De Gorgonum ac Fortunatis insulis.

CHaldææ gentis caput Babylon est, à Semiramide condita, tam nobilis, vt propter eam & Assyrij & Mesopotamij in Babyloniæ nomẽ trãsierint. Vrbs est sexaginta millia passuum circuitu patens, muris circundara, quorum altitudo ducentos pedes detinet, latitudo quinquaginta, in singulos pedes ternis digitis vltra quàm mensura nostra est altioribus. Amne interluitur Euphrate. Beli ibi Iouis templum, quem inuentorem cælestis disciplinæ tradidit etiam ipsa religio, quæ deum credit. In æmulationem vrbis huius Ctesiphontem Parthi condiderunt. Tempus est ad Oceani oras reuerti, represso in Æthiopiam stylo. Namque vt Atlanticos æstus occipere ab occidente & Hispania dudum dixeramus, ab his quoque partibus mundi, vnde primum Atlãtici nomẽ induat, exprimi par est. Pelagus Azanium vsque ad Æthiopum littora promouetur, Æthiopicum ad Mossilicum promontorium, vnde rursus Oceanus Atlãticus. Iuba igitur vniuersæ partis, quamplurimi propter solis ardorem peruiam negauerunt, facta etiam vel gentium vel insularum commemoratione ad confirmandæ fidei argumentum, omne illud mare ab India vsque ad Gades voluit intelligi nauigabile, Cori tamen flatibus, cuius spiritus præter Arabiam, Ægyptum, Mauritaniam, euehere quanuis queant classem, dũmodò ab eo promontorio Iudiæ cursus dirigatur, quod alij Leptan acran, alij Drepanũ nominauerũt.

Addidit & ſtationũ loca,& ſpatiorum modum.Ná ab Indica prominentia ad Malachum inſulam affirmat eſſe quindecies centena millia paſſuum, à Malacho ad Sceneon ducenta viginti quinque millia.Inde ad inſulam Sadanum cẽtum quinquaginta millia.Sic cõfici ad apertũ mare decies octies centena & ſeptuaginta quinq; millia.Idem opinioni plurimorum,qui ob ſolis flagrãtiam, maximam partis iſtius regionem ferunt humano generi inacceſſam, ſic reluctatur,vt mercantium ibi tranſitus infeſtari ex Arabicis inſulis dicat,quas Aſcitæ habent Arabes, quibus è re nata datum nomen eſt. Nam bubulis vtribus contabulatas crates ſuperponunt, vectatique hoc ratis genere prætereuntes impetunt ſagittis venenatis. Habitari etiam Æthiopiæ aduſta Troglodytarum & Icthyophagorum nationibus, quorum Troglodytæ tanta pernicitate pollent, vt feras quas agitant,curſu pedum aſſequantur. Ichthyophagi nõ ſecùs quàm marinæ belluæ nando in mari valent. Ita exquiſito Atlantico mari vſque in occaſum, etiá Gorgonum meminit inſularum. Gorgones inſulæ, vt accepimus, obuerſæ ſunt promontorio quod vocamus Heſperionceras. Has incoluerunt Gorgones monſtra,& ſanè adhuc monſtroſa gens habitat.Diſtant à continenti bidui nauigatione. Prodidit denique Xenophon Lampſacenus Hannonem Pœnorũ regem in eas permeauiſſe,repertáſque ibi fœminas aliti pernicitate, atque ex omnibus quæ apparuerãt, duas captas tam hirto atque aſpero corpore, vt ad argumentum ſpectandæ rei,duarum cutes miracũli gratia inter donaria Iunonis ſuſpenderit, quæ duranuére vſque in tempora excidij Carthaginẽſis. Vl-

tra

tra Gorgonas Hesperidum insulæ, sicut Sebosus affirmat, dierum quadraginta nauigatione in intimos maris sinus recesserunt. Fortunatas insulas contra lævam Mauritaniæ tradunt iacere, quas Iuba sub meridie quidē sitas, sed proximas occasui dicit. De harum nominibus expectari magnū mirū reor, sed infra famam vocabuli res est. In prima earum, cui nomen est Ombrion, ædificia nec sunt, nec fuerunt. Iuga montium stagnis madescunt. Ferulæ ibi surgūt ad arboris magnitudinem. Earum quæ nigræ sunt, expressæ liquorem reddunt amarissimum. Quæ candidæ, succos reuomūt etiam potui accommodatos. Alteram insulam Iunoniam appellari ferunt, in qua pauxillæ ædes ignobiliter ad culmen fastigiatæ. Tertia huic proximat eodē nomine, nuda omnia. Quarto loco Capraria appellatur, enormibus lacertis plus quàm referta. Sequitur Niuaria aëre nebuloso, & coacto, ac propterea semper niualis. Deinde Canaria repleta canibus, forma etiam eminentissimis: inde etiam duo exhibiti Iubæ regi. In ea ædificiorum durant vestigia. Auium magna copia, nemora pomifera, palmeta Caryotas ferētia, multa nux pinea, larga mella, amnes Siluris piscibus abundantes. Perhibent etiam exspui in eam vndoso mari belluas, deinde cùm monstra illa putredine tabefacta sunt, omnia illic infici tetro odore, ideóque non penitus ad nuncupationem suam congruere insularum qualitatem.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Solinus, Gaius Iulius,

Polyhistor vel Rerum toto orbe memorabilium thesaurus

Aureliana 1605
A.lat.b. 1776
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10246580-6